MASTER NEGATIVE
NO. 93-81641-5

AUTHOR:

JAGIELSKI, HUBERT

TITLE:

DE FIRMIANI LACTANTII FONTIBUS...

PLACE:

REGIMONTI

DATE:

1912

Master Negative #

93-81641-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Jagielski, Hubertus: De Firmiani Lactantii fontibus quaestiones selectae. Regimonti 1912: Kuemmel. 96 S. 8°

Königsberg, Phil. Diss. v. 28. Sept. 1912, Ref. Roßbach

[Geb. 3. April 88 Layß Opr.; Wohnort: Layß; Staatsangeh.: Preußen; Vorbildung: Gymn. Braunsberg Reife O. 08; Studium: Breslau 1, Braunsberg Lyc. Hosianum 1, Königsberg 6 S.; Rig. 23. Juli 12.] [U 12.6036

Volume of pamphlets

161724

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 1/14

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB




DATE FILMED: 8-5-93 INITIALS BE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches



DE FIRMIANI LACTANTII FONTIBUS QUAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HUBERTUS JAGIELSKI
Layssensis

REGIMONTI
EX OFFICINA KUEMMELIANA
MCMXII

Gedruckt mit Genehmigung
der Philosophischen Fakultät der Königl. Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.
Referent: Geh. Reg.-Rat Prof. Dr. Roßbach.

OTTONI ROSSBACH
SACRUM

L. Caelius Firmianus Lactantius[1]) in operibus componendis non modo christianis, sed etiam saepissime profanis et poetis et solutae orationis scriptoribus usus est. Cum autem Pichonius in dissertatione[2]) nonnulla de Lactantii fontibus, praecipue de Cicerone illius auctore, de quo solo copiosius disserit,[3]) conscripserit, sane quidem in aliis fontibus profanis commemorandis Brandtii indice innisus nihil fere, quod hanc rem promoveat, attulerit, sed ipsis rebus non exploratis summam breviter significaverit,[4]) in hac dissertatione Varronem, Senecam, Quintilianum, Gellium Lactantii auctores perstringere suscipiam: Varronem vero, quod in Schwarzii disputatione »De M. Terentii Varronis apud sanctos patres vestigiis«[5]) Lactantii loci Varroniani omittuntur pariter ac Quintiliani illi in Fiervillei editione libri I. instit. orat.,[6]) ubi de eius memoria disputatur, tum Senecam, quod Lactantius solus trium eius scriptorum hodie deperditorum inscriptiones fragmentaque nobis servavit, Gellium, qui Varronem Senecamque in noctibus Atticis saepius adhibuit vel adhibuisse videtur ita

[1]) Cf. edit. Brandtii et Laubmanni in Corp. script. eccles. Lat. Vol. XIX. tom. I. Vindob. 1890; Vol. XXVII. tom. II. Vindob. 1893.
[2]) Lactance. Paris 1901.
[3]) p. 246—266.
[4]) cf. quam censuram egit Wendland in Deutsche Literaturzeitung 1903, Nr. 40.
[5]) in annal. philol. Suppl. vol. XVI. (1888) p. 405 ss.
[6]) cf. préf. p. XIV. Paris 1890.

tractabo, ut eorum verba, quae in censum veniunt, diligenter perscruter. Quare magni momenti est de illorum locorum argumento loqui et videre, quomodo Lactantius iis usus sit et quomodo cum eius verbis praecedentibus aut sequentibus cohaereant, et quoad fieri potest novos locos invenire, simul illos doctos viros, qui de singulis iam scripserunt, conferre.

Iam vero videamus, quid in Lactantii operibus Varronis sit vel videatur esse.

I. De Varrone.

Varronis nomen apud Lactantium undevicies nobis occurrit: in libro de opificio dei octies, in institutionibus novies, in epitoma et libro de ira dei semel. Sed duobus locis singula Varronis opera accuratius definiuntur, in libro de opif. dei (5, 6): »ut quidem Varro ad Ciceronem scribit«, quo opus de lingua latina designatur, et in Inst. I 6, 7, ubi Lactantius dicit, ad quem (i. e. ad C. Caesarem pontificem maximum) Varro libros suos miserit, simulque operis inscriptionem (i. e. antiquitates rerum divinarum) indicat.

Lactantium magni aestimasse Varronem maxime ostendunt eius verba (Inst. I 6,7): »Varro, quo nemo unquam doctior ne apud Graecos quidem vixit« aut quod A. Mancinius[1]) dicit (Inst. I 1,1): »Magno et excellenti ingenio viri ... existimantes multo praeclarius esse humanarum divinarumque rerum investigare ac scire rationem«, quae verba scribens fortasse de Varrone cogitavit. Aliquam laudem etiam continere videntur

[1]) De Varrone Lactantii auctore, in Studi Storici V. (Livorno 1896) p. 229.

verba Inst. IV 15, 26, ubi Varro cum Cicerone, quem ex veteribus plurimi aestimat, laudatur.

Praeterea nonnulli loci apud Lactantium inveniuntur, ubi Varronis verba prorsus reiciuntur atque vituperantur, in Inst. II 12, 21, in libro de opif. dei 14,3 et 17,6.

Attamen praeter illos locos, qui tamquam Varroniani ab ecclesiae patre ipso indicantur, multi alii inveniuntur, ex quibus Varroniana frusta eruere licet. De Varrone Lactantii auctore, ut taceam de Pichonio,[1]) Mancinius[2]) disputare conatus est. Sed cum is, qui ne Brandtii quidem editione usus esse videtur, multa omiserit, multa non recte dixerit, omnino disputatio eius obsoleta sit, denuo singula perscrutari operae pretium est, in qua re magni momenti est praeter Brandtii commentationem: »Über die Quellen von Lactanz' Schrift de opificio dei«[3]), quam Agahdius scripsit: »M. Terentii Varronis Antiquitatum Rerum Divinarum libri I XIV XV XVI,[4]) qui sane Mancinii disputationem minime commemorat.

Sed iam suscipiamus singulos locos conferre; primum agam de Varronis vestigiis, quae ad historias fabulares vel res sacras pertinent, tum de illis ad veriloquia, deinde ad philosophiam et cetera spectantibus.

A. De locis ad historias fabulares vel res sacras pertinentibus.

a) de Sibyllis.

Quater Lactantius, cum de Sibyllis agit, Varronis nomen commemorat, ut demonstret primum deum

[1]) cf. diss. p. 5.
[2]) cf. diss. p. 6 adn. 1. l. c. p. 229 ss. p. 297 ss.
[3]) cf. Wiener Studien XIII. (1891) p. 255 ss.
[4]) cf. annal. philol. (1898) p 1 ss.

unum esse (Inst. I 6 et epit. 5,1 ss.), tum Sibyllina carmina non a christianis composita esse, ut argumentum dei potentiae infinitae ei contingat (Inst. IV 15, 27), deinde dei iram necessariam esse (de ira dei 22,5).

In Inst. I 6, 8, postquam de vocis Sibyllae veriloquio (id quod infra mihi explicandum erit) disputavit, nomina decem Sibyllarum, quem numerum etiam Varro attulerit, enumerat, primam Persicam, secundam Libyssam, tertiam Delphida, quartam Cimmeriam, quintam Erythraeam, sextam Samiam, septimam Cumanam nomine Amaltheam aut Herophilam vel Demophilam, octavam Hellespontiam, nonam Phrygiam, decimam Tiburtem nomine Albuneam. Eas omnes Varronem sub auctoribus enumeravisse, qui de singulis scriptitaverint. Hoc quidem mirum est, quod auctorum non mentio fit apud Sibyllam Cumanam, Phrygiam, Tiburtem. Ex scriptoribus, qui de singulis egerunt, nominat Nicanorem, qui res gestas Alexandri scripserit, Euripidem in Lamiae prologo, Chrysippum in libro de divinatione, Naevium, qui in libris belli Punici, Pisonem, qui in annalibus de Cimmeria egerit, Apollodorum Erythraeum, cuius librum pariter atque illum Heraclidis Pontici non appellat, Eratosthenem, qui Samiam in annalibus Samiorum reppererit. Alterius, qui de Sibyllis scripserit, nomen Lactantius adiungit in libro de ira dei (22, 5,) ubi praeter Varronem et Fenestellam et Apollodorum, quos ex Inst. I 6 memoria tenet, etiam Aristonicum[1]) commemorat. Cum Lactantius de primis quattuor Sibyllis et Samia nihil aliud afferat nisi earum nomina et scriptorem, qui eas memoravit, de ceteris etiam alia dicit, maxime copiosius disserens de Sibylla Cumana, quae novem libros regi Tarquinio Prisco obtulerit. Cum autem trecentos philippeos rex non dedisset, Sibyllam sex libros combussisse. Reliquorum trium librorum numerum postea auctum esse, Capitolio refecto, quod ex omnibus civitatibus et Italicis et Graecis praecipueque Erythraeis coacti adlatique sint Romam, cuiuscumque Sibyllae nomine fuerint. Hoc proximum Lactantius in paragr. 14 Fenestellae verba afferens repetit adiungens: »idem dixisse Varronem supra ostendimus«. Etiam paragr. 13, ubi narratur harum omnium Sibyllarum »carmina tradi et haberi, praeterquam Cymaeae, cuius libri a Romanis occultentur nec eos ab ullo nisi a quindecimviris inspici fas habeant«, eodem modo atque verba libri de ira dei 23,2: »Cymaeae quidem volumina, quibus Romanorum fata conscripta sunt, in arcanis habentur; ceterarum tamen fere omnium libelli, quominus in usu sint omnibus, non vetantur«, Varroniana sunt, quod Varronem hoc loco de quindecimviris ipsis locutum esse Lactantius tradit, itemque Gellius (I 19), qui et ipse de tribus libris agit, dicit: »ad eos [i. e. tres libros] quasi ad oraculum quindecimviri adeunt, cum di immortales publice consulendi sunt«.

Repetit hunc Sibyllarum indicem Lactantius in epitoma (5,1 ss.), ubi nomina sola enumerat, sane quidem novum adiungens, id quod in Inst. non commemoratur, potius in libro de ira dei (23,2), libros Cumanae fata

[1]) Cod. Bonon. (B[1]) aristocus; (B[3]) aristo [stoi] cus; Egnatius Aristo Chius; cod. Paris. (P) Aristonicus.

Romana continere, quod iterum Varroni attribuendum est[1]).

Varronis verba a Lactantio paululum decurtata esse apertum est[2]). Id ex Lactantii verbis (paragr. 8): »eas enumeravit sub auctoribus, qui de singulis scriptitaverint«, sequi puto, quod auctores omnes non afferuntur. Sed Varronem ipsum, quomodo Lactantius dixit, hunc indicem confecisse, ea de causa certum est, quod, ut Maassii[3]) verbis utar, non credibile est decimam (Tiburtinam) et quartam (Cimmeriam) Sibyllas Romanas simul cum Naevii et Pisonis testimoniis ab homine Graeco ante Varronem in hunc ordinem receptas esse[4]). Ritter[5]) indicem a Lactantio nomine Deiphobae, quam Vergilius (Aen. VI 36) affert, minutum esse putat, itemque Norden[6]) arbitratur Varronem alias etiam Sibyllas appellasse. Sed Mras[7]) optimo iure exprimit prorsus cognosci posse Varroni numerum decem ipsum [genere ordinis decem oratorum] maximi momenti fuisse, qua de causa Herophile cum Cumana[8]) (i. e. Amalthea)[9]) componatur, sed a Marpessia (i. e. Hellespontia) distine-

[1]) cf. ad hoc: Serv. in Aen. VI 36; 321.

[2]) cf. Maass, De Sibyllarum indicibus. Diss. Gryphisw. 1879. p. 34.

[3]) l. c. p. 34.

[4]) cf. etiam Geffcken, Aus der Werdezeit des Christentums. Leipzig 1904. p. 41.

[5]) De Varrone Vergilii in narrandis urbium populorumque Italiae originibus auctore. Diss. philol. Halens. vol. XIV 1901. p. 308—313.

[6]) Vergilstudien, Hermes XVIII (1893) p. 506 adn. 1.

[7]) Babylonische und Erythraeische Sibylle in Wiener Studien XXIX 1907. p. 34.

[8]) cf. Diels, Sibyllinische Blätter. Berlin 1890 p. 52 adn. 1.

[9]) cuius nomen Cumam translatum est. cf. Maass, Hermes XVIII 1883 p. 32 ss.; Robert, Hermes 1887 p. 454.

atur, ut Erythraea a Persica[1]). Certum igitur videtur esse Lactantium numerum et nomina Sibyllarum, quomodo Varro eas composuerit, recte nobis tradidisse.

Quartum Varronis nomen cum Sibyllis coniunctum in Inst. IV 15, 27 legitur. Ut enim dei potentiam infinitam praedicet atque demonstret, Sibyllinorum carminum versus affert, quae non a christianis ficta atque composita esse lectio librorum Ciceronis Varronisque et aliorum veterum, qui Erythraeam Sibyllam ceterasque commemorent, testatur. Eum ipsum hunc locum composuisse apparet ex eo, quod in Inst. I 6, 8 et in libro de ira dei 22, 5 Varronem aliosque veteres, de quibus cogitat, enumeravit, etiam Ciceronem, qui in libro de divinatione simul fere cum Varrone Sibyllam Erythraeam commemorat[2]) et quem summum auctorem in operibus suis componendis elegit, accuratissime cognovit.

Omnes hos locos, quos enumeravi, antiquitatum rerum divinarum libro IV. addicendos esse Kettner[3]) primus ostendit.

Iam vero spectemus, quomodo Lactantius de deis agens a Varrone pendeat.

b) De deis.

In Inst. libro I. de falsa religione qui inscribitur Lactantius veterum sententias de deis deabusque reicere

[1]) cf. Geffcken, Komposition u. Entstehungszeit der Oracula Sibyllina in Texte u. Untersuchungen zur Geschichte der altchristl. Literatur. N. F. VIII. 1903. p. 3; Mras, l. c. p. 48.

[2]) I 18, 34: »ut Bacis Boeotius, ut Epimenides Cres, ut Sibulla Erythraea«.

[3]) Varronische Studien. Halle 1865. p. 41; M. Ter. Varronis de vita populi Romani ad Qu. Caecilium Pomponianum Attic. libror. IV quae extant. Halle 1884. p. 17.

suscipit. Dividit deos, quos omnes homines esse putat in communes, de quibus in capp. 8—19 loquitur, et proprios (cap. 20)[1]), id quod quodammodo Varronianum est. Divisio enim Varronianae theologiae, ut Servius[2]) tradit, haec est:

Dei

1. sempiterni. 2. facti ex hominibus.

a) privati. b) communes.[3])

Tertullianus, ut »aliquid novi fecisse videatur«,[3]) ita dividit: (ad nat. II 9—11)

Dei

1. communes. 2. proprii.

a) publici. b) adventicii.

aut: a) facti ex hominibus. b) non facti.[3])

Lactantius autem, cum deos omnes homines fuisse putet, divisionem multo simpliciorem reddit:

Dei

1. communes. 2. proprii.[4])

Quid autem ad hanc rem pertinens Varronis sit, breviter perstringamus disserentes primum de deis communibus, deinde de propriis; tum autem videamus, quid Lactantius de cultu horum deorum et origine cultus agens Varroni debeat vel debere videatur.

[1]) Ibi habemus: Venio nunc ad proprias Romanorum religiones, quoniam de communibus dixi. (cf. Agahd, l. c. frgm. 33 f. Ant. rer. div. I.) et epit. 15, 1: Dixi de religionibus, quae sunt communes omnium gentium: dicam nunc de iis, quos Romani proprios habent.

[2]) in Aen. VIII 275.

[3]) cf. Schwarz l. c. p. 241.

[4]) cf. Mancini, l. c. p. 299.

α) De deis communibus.

Priusquam ad singula me verto, primum statuam plurimos locos, qui de deis agentes in Lactantii operibus Varronianam originem ostendunt, cum ex aliis scriptoribus, qui eadem vel simillima nobis tradunt et Varronem ipsum aut alterius ope adhibuerunt, reperiri necesse esse, tum ex Augustino, qui in civitate dei (VI 3) nobis etiam antiquitatum rerum divinarum rationem, dispositionem discriptionemque ostendit itaque Varrone saepissime utitur, ex Servio, qui antiqua afferens ubique fere copiis Varronianis utitur,[1]) ex Plinio, quem item varia ex Varrone attulisse Muenzer[2]) demonstravit, ex Ovidio, quem in fastis saepissime ex Varrone pendere multum tractatum est.[3])

In capp. 8—19, ubi Lactantius de communibus deis agit, Varronis nomen bis nobis occurrit, I 13, 8 et I 17, 8. Illo enim loco ecclesiae scriptor demonstrare vult Saturnum hominem fuisse, quem Ianus exceperit, cuius rei argumenta sint nummi veteres, in quibus sit cum duplici fronte Ianus et in altera parte navis. Hoc Varronianum esse elucet et ex aliis scriptoribus[4]) et

[1]) cf. Muenzer, Beiträge zur Quellenkritik der Naturgeschichte des Plinius. Berlin 1897. p. 167; Samter, Quaestiones Varronianae. Diss. Berlin 1890. p. 1 ss.

[2]) l. c. p. 151 ss.

[3]) Merckel in edit. fast. Ov. Berlin 1841. praef; Mercklin, Aetia des Varro, Philol. III p. 267—277; Huelsen, Varronianae doctrinae quaenam in Ovidii fastis vestigia extant. Diss. Berlin 1880. [cf. Deutsche Literaturzeitung 1880 p. 296]; Willemsen. De Varronianae doctrinae apud fastorum scriptores vestigiis, Diss. Bonn 1906 p. 32 ss.; Franke, De Ovidii fastorum fontibus capita tria. Diss. Hal. 1909; H. Peter, Ov. fast. Lips. 1889. p. 15.

[4]) Macr. sat. I 7, 21; Aug. C D VII 4; Plut. Num. 19; Tert. apol. X; Serv. Aen. VIII 319; Ov. fast. I 233; Minuc. Oct. 21, 4—8.

ex nomine Varronis in paragr. 8. allato. Quod autem ibi Lactantius dicit de hac re scripsisse ex Graecis Diodorum et Thallum, ex Latinis Nepotem et Cassium et Varronem, non putare possumus id eum ipsum Lactantium scivisse. Sed id solum fieri potest, ut aliquem scriptorem cognoverit, qui illos scriptores iam coniunxerit. Et re vera id ex eo sequitur, quod Tertullianus[1]), qui ipse Varronem auctorem suum indicat,[2]) et Minucius[3]) similia, non eadem afferunt. Sed comparatio docet ex primarii auctoris memoria solum Lactantium illos scriptores retinuisse, qua de causa etiam non ex illis ecclesiae scriptoribus pendere potest, sed omnes tres »auctorem communem«, quem Agahdius[4]) nominat, adhibuerunt.

Iterum invenimus Varronis nomen in Inst. I 17, 8. Ibi scriptor ostendere suscipit homines illos omnes fuisse, qui dii putentur, Isidem Cererem Latonam Iunonemque. Et in Iunone commemoranda Varronis verba affert »insulam Samum prius Partheniam nominatam, quod ibi Iuno adoleverit ibique etiam Iovi nupserit«.[5]) Mirschius[6]) hunc locum ad antiquit. rerum humanarum librum XII. refert, ubi de insulis Varronem

[1]) apol. X: Saturnum, si ... neque Diodorus Graecus aut Thallus neque Cassius Severus aut Cornelius Nepos; ad nat. II 12: Legimus apud Cassium Severum, apud Cornelios Nepotem et Tacitum, apud Graecos quoque Diodorum ...

[2]) cf. Muenzer l. c. p. 337 ss.

[3]) Oct. 21, 4: Saturnum ... scit hoc Nepos et Cassius in historia, et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur.

[4]) l. c. p. 51.

[5]) cf. Funaioli, Gram. Rom. frgm. (frgm. 399 sub Varrone.)

[6]) De M. Ter. Varronis antiquit. rer. hum. libris XXV in Leipz. Studien V. p. 115.

disputasse statuit. Cum Mancinio[1]) totam paragraphum 8. Varroni tribuendam esse puto, ubi enim narratur »Sami nobilissimum et antiquissimum eius templum esse et simulacrum in habitu nubentis figuratum et sacra eius anniversaria nuptiarum ritu celebrari«. Nam quod Lactantius in Varronis loco exscribendo oratione obliqua loquitur, cum oratione recta verba properent, id nullius momenti est, quoniam Lactantii, qui Inst. I 6, 12 idem facit, rationi minime id obloquitur. Potius apertum est verba de Iunonis cultu illum ex suo ingenio non attulisse, itaque proximum est haec etiam Varroni addicere. Attamen illa ex Antiquit. divinis (libr. XIV.) hausta esse confirmare non ausim, quod ex verbis collocatis elucere videtur Varronis interfuisse praecipue de insulae Sami nomine, non de Iunone, quod Lactantius vult, disputare.

Sed praeter hos duos locos etiam alii Varronianam originem palam ostendunt. Ita Lactantius in Inst. I 12, 5 s. de Vesta Vulcanoque agit. De Vesta in Augustini civitate dei (IV, 10, 5 s.) similia legimus, quem id ex Varrone hausisse constat.[2]) Sed comparemus singula:

Inst. I 12, 5: idcirco enim virginem putant Vestam, quia ignis inviolabile sit elementum nihilque nasci possit ex eo, quippe qui omnia quae arripuerit absumat.	Aug. Civ. dei IV 10, 5 s: .. eandem etiam Vestam volunt, cum tamen saepius Vestam non nisi ignem esse perhibeant pertinentem ad focos, sine quibus civitas esse non potest; et

[1]) l. c. p. 297; 305.

[2]) cf. Agahd. l. c. p. 31.

ideo illi virgines solere servire, quod sicut ex virgine, ita nihil ex igne nascatur.[1])

Id Varronis esse etiam versus Ovidii cum illis coniuncti verisimilius faciunt. Et comparatio docet duos locos unius atque eiusdem scriptoris (i. e. Varronis) esse, quod uterque imaginem virginis et ignis, ex quo nihil nasci possit, adhibent.

In paragr. 7. Lactantius de Vulcano agit, »qui putetur ignis«. Etiam haec verba apud Augustinum[2]) invenimus; sane quidem ex eius verbis Varronis maxime interfuisse nominis Vulcani veriloquium ex »violentia« afferre elucet.

Sed haec comparemus:

Inst. I 17, 12: cum Vulcanus diis arma fecisset eique Iuppiter optionem dedisset praemii quod vellet postulandi iurassetque ut solebat per infernam paludem se nihil negaturum, tum faber claudus Minervae nuptias postulavit. hic Iuppiter... tanta religione constrictus abnuere non potuit, Minervam tamen

Aug. C D XVIII 12: Erichthonii regis Atheniensium, .. Vulcanus et Minerva parentes fuisse dicuntur. Sed quoniam Minervam virginem volunt, in amborum contentione Vulcanum commotum effudisse aiunt semen in terram atque inde homini nato ob eam causam tale inditum

[1]) frgm. 64 b. p. 219 (Agahd.); Mancini l. c. p. 300.

[2]) CDVII 16: ignem mundi violentiorem, qualis Vulcani est; Vulcanum volunt ignem mundi. VII 30: Qui mundi huius ignem vehementissimum et violentissimum regit.

movit repugnare pudicitiamque defendere. tum in illa conluctatione Vulcanum in terram effudisse aiunt, unde sit Erichthonius natus, idque illi nomen impositum ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονός id est ex certamine atque humo. cur igitur virgo eum puerum cum dracone conclusum et obsignatum tribus virginibus Cecropidis commendavit?

nomen. Graeca enim lingua ἔρις contentio, χθών terra est, ex quibus duobus compositum vocabulum est Erichthonius. Verum quod fatendum est, refellunt et a suis diis repellunt ista doctiores, qui hanc opinionem fabulosam hinc exortam ferunt, quia in templo Vulcani et Minervae.. expositus inventus est puer dracone involutus...

Videmus igitur hos duos locos inter se cohaerere. Cum autem Augustinum ex Varrone pendere Kettner[1]) ostenderit, etiam Lactantii verba Varroni attribuenda sunt. Lactantius copiosius agit de Erichthonii historia quam Augustinus, cum is etiam fabulae originem declarare conetur.[2])

In cap. XV 8 Lactantius singulas gentes aut insulas aut urbes et deos, qui ubique venerantur, enumerat quod Mancinius[3]) Varroni addicit. Apparet sane haec a se ipso aut aliis operum suorum locis Lactantium non sumpsisse posse, quod nomina Iubae, Cabiri,

[1]) Varronische Studien p. 71. (frgm. 17.)

[2]) cf. etiam epit. 9,2: unde igitur prosiluit Erichthonius? num in terram Vulcanus effudit et inde homo tamquam fungus enatus est?

[3]) l. c. p. 305.

Uraniae, Sanci hoc unico loco commemorantur. Ab initio non excludo verba per se apud Varronem extitisse posse. Sed id demonstrari non potest et optimum erit putare Lactantium haec in aliquo scriptore iam ex aliis composita legisse.

Sed iam spectemus, quae de deis propriis dicta Varronis esse videantur.

β) de deis propriis.

De deis propriis Lactantius in Inst. I 20 agit. Perstringamus singula breviter, ut Varroniana frusta fortasse eruere possimus. Et primum videamus, quibus aliis locis singula deorum dearumque nomina extent aut ubi ex parte similia vel eadem atque apud Lactantium inveniri possint. Ab initio illos seligo, quos Livio, Ovidio, Ciceroni, Vergilio, Verrio Flacco attribui Lactantius ipse dicit.

(4.) Larentinalia: [Larentalia: Varro l. l. VI 23; Ov. fast. III 57.]

(6.) Flora—Floralia: Varro r. r. I 1, 6; Plin. n. h. XVIII 285 s; Schol. Iuv. 6, 250; Min. Fel. Oct. cap. 25; Arnob. 3, 23.

(11.) Cloacina: Liv. III 48, 5; Plin. n. h. XV 119; Min. Fel. 25, 8; Aug. C D IV 23; VI 10.
Pavor et Pallor: Liv. I 27, 7; Aug. C D IV 23.

(12.) Honor et Virtus: Liv. XXVII 25, 7; XXIX 11, 3; Val. Max. I 1, 8; Cic. N D II 61.

(13. 14.) Mens: Cic. N D III 88; de legg. II 19. 28; Plin. n. h. II 14.

(17.) Robigo: Ov. fast. IV 907 ss; Colum. X 342 s; Tert. de spect. 5;

Aug. C D IV 21; Robigus: Varro l. l. IV 16; r. r. I 1, 6; Plin. n. h. XVIII 285; Serv. Georg. I 151; Gell. V 12, 14.
Febris: Cic. de legg. II 28; N D III 63; Val. Max. II 5, 6; Plin. II 16; Min. Fel. 25, 8; Aug. C D II 14; III 12, 25; IV 15; 23.

(27.) Venus Calva: Serv. ad Aen. I 720.

(29—32) Venus Armata: Auson. epigr. VII p. 423 et p. 336; Prud. c. Symm. 2, 534 s.

(33.) Iuppiter Pistor: Ov. fast. VI 377.

(35.) Fornax: Ov. fast. II 525; Fornacalia: Varro l. l. VI 3, 13.
Muta—Lara: Ov. fast. II 571 ss; Arnob. III 41. } Larunda: Varro de l. l. V 74.

(36.) Caca: Serv. ad Aen. VIII 190.
Cunina: Varro ap. Non. p. 246 (Lindsay.) Aug. C D IV 8; 11; 21; 24; 34.
Stercutus: [Sterculinius, Stercutius, Stercus, Sterculius, Sterculus. Serv. ad Aen. IX 4; X 76; Plin. XVII 50; Aug. C D XVIII 15; Macrob. Sat. I 7, 25; Tert. ap. 25; ad nat. II 9.]
Tutinus: [Tutunus vel Priapus: Tert. ad nat. 2, 11; Arnob. 4, 11; 4, 7. Aug. C D IV 11; 34; VI 9; VII 24.]

(37.) Terminus: Ov. fast. II 667 ss; Serv. Aen. IX 446; Aug. C D IV 23.

Ex his ab initio segregari posse puto verba de Mente, Honore, Virtute, quae Ciceroni addicere velim, cuius nomen Lactantius brevi post affert. Tum haec commemoro: In paragrapho 11. Lactantius de Pallore Pavoreque loquitur. Etiam Augustinus dicit Tullum Hostilium Pavorem Palloremque coluisse. Cum autem Livius idem dicat, immo sequitur, praesertim cum Li-

vium saepius etiam quam Varronem Augustinus excerpserit, hoc ab eo petitum esse.[1])

Pleraque autem Lactantius Varroni debet, quae iam apud aliquem scriptorem composita invenisse videtur.[2])

Statuamus igitur, quae Varronis esse verisimile est.

1. »Cloacinae simulacrum in Cloaca Maxima repertum Tatius consecravit et quia cuius esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit«.

Cloacinae cultum a Tatio conditum esse soli Minucius et Augustinus commemorant. Cum autem Augustini verba Varronis sint, iure etiam illa Lactantii ei addicere possumus.

2. »Haec enim semper excusatio est eorum, qui mala sua pro diis habent, ut Romani robiginem ac febrem«.

Nomen Robiginis Lactantius fortasse ex Ovidii fastis sumpsit. Ex quo autem Ovidius pendet? Varro virilem hunc deum esse putat et Robigum eum nominat. Servius (Georg. I 151) ita habet: »Robigo autem genus est vitii, quo culmi pereunt ... inde et Robigus deus ... sed haec res abusive robigo dicitur; nam proprie robigo est, ut Varro dicit, vitium obscenae libidinis, quod ulcus vocatur«. Id Lactantii verbis: »qui mala sua pro diis habent«, accommodatum esse nemo negabit. Promiscuus usus Robigi et Robiginis nullius

[1]) cf. etiam Senecam ed. Haase III p. 425. (frgm. 33. »de superstitione«.)

[2]) cf. Agahd, l. c. p. 68; Muenzer, Cacus, der Rinderdieb, Basileae 1911. p. 100 adn. 115.

momenti est, quod Robigus tamquam masculum et Robigo femineum numen percipi potest.

Cum autem Febris cum Robigine anguste coniuncta item dea appelletur, non excludo etiam hoc nomen Varronianum esse, praesertim cum etiam Augustinus hanc deam commemoret.

3. Verba »Cunina, quae infantes tuetur in cunis ac fascinum submovet« ea de causa Varroni attribui posse puto, quod idem veriloquium: »Cunina-cunis« Varro apud Nonium memorat et »Cunina propter cunas« etiam apud Augustinum nobis occurrit.

4. Lact. Stercutus, qui stercorandi agri rationem primus induxit.	Serv. Aen. IX 4: horum Pitumnus usum stercorandorum invenit agrorum, unde et Sterculinius dictus est. —

Cum Servius Varronem auctorem suum paulo inferius indicet, apertum est etiam Lactantii verba Varronis esse. Nam eadem nomina esse »Sterculinius, Stercutius, Stercus, Sterculius, Sterculus« ab nomine »Stercutus« derivata Iordan[1]) ostendit.

5. »Tutinus, in cuius sinu pudendo nubentes praesident«. Augustinus (C D IV 11) dicit: »ipse sit Mutunus vel Tutunus, qui est apud Graecos Priapus«. Itaque alii loci, qui Priapum nominant, ad Tutunum vel Tutinum pertinent.[2]) Et in civ. dei VII 24, ubi Varro auctor plane indicatur, legimus: »et quod in celebratione nuptiarum super Priapi scapum nova nupta

[1]) ap. Preller. myth. Rom.[3] II 11 adn. 3.

[2]) cf. Peter. ap. Rosch. Lex. myth. II 1 p. 204.

sedere iubebatur«. Itaque quodam iure Lactantii verba Varronianam originem prae se ferre dicere possumus.

6. Terminus: Si Servii et Lactantii locos de Termino comparamus, conspicuum est utrumque Vergilii verba: »Capitoli immobile saxum« declarare conari, ut uterque ex uno atque eodem fonte pendere videatur. Servius de hac re copiosius agit quam Lactantius; ab eo igitur pendere non potest. Quamquam Ovidius de hoc ipso disputat, non demonstratur eum illorum auctorem esse. Potius uterque aut a Varrone ipso aut ab alio scriptore sua sumpsisse videtur, qui ex Varrone doctrinam suam petivit. Nam id Varronis esse concludo ex Augustino, qui eadem fere tractat et Varronem adhibuit.

Sed videamus, quomodo alia verba de deis deabusque facta se habeant.

7. »Colitur et Caca, quae Herculi fecit indicium de furto boum, divinitatem consecuta, quia prodidit fratrem«.

De Caca nihil aliud audimus nisi hoc unicum Servii qui dicit Cacum a sorore sua eiusdem nominis proditum esse.[1]) Nihil igitur habemus, quod Varroni hoc attribuamus. Sed cum eius nomen cum illis Cuninae, Stercuti, Tutini, quae Varroniana videntur, anguste coniunctum sit, quoddam ius nobis est etiam narrationem de Caca ex Varrone natam esse putare.[2])

Difficilius est statuere, unde cetera orta sint.

Appellationem »Larentinalia« et verba cohaerentia ea de re ex Varrone fluxisse verisimile non est, quod in

[1]) cf. Muenzer, Cacus, der Rinderdieb p. 98 ss.
[2]) ibid. p. 99 adn. 115; p. 101.

opere de lingua latina pariter atque Ovidius »Larentalia« dicit.

De Flora et Floralibus Varro (r. r. I 1,6) ita disserit: »quarto . . . Floram, quibus propitiis . . . neque non tempestive florent. itaque publice . . . Florae ludi Floralia instituti.« In schol. Iuv. invenimus: »Hi ludi a Flora meretrice instituti sunt in honorem Florae deae, quae floribus praeest.« (cf. Lact. »quae floribus praesit«.) Plinius dicit: »ut omnia bene deflorescerent.« (cf. Lact. »ut fruges . . . bene . . . florescerent«.) Cum Plinius saepius ad Varronem se applicet, sane fieri potest, ut ex illo etiam hoc loco pendeat. Sed cum apud Varronem rem copiosius narratam non habeamus, confirmare non ausim Lactantii verba Varroniana esse.

In paragr. 35 legimus: »quis non rideat Fornacem deam vel potius doctos viros celebrandis Fornacalibus operari.« Hunc locum non Varronis sed Ovidii esse ex eo elucet, quod Varro Fornacalia propter fornaces celebrata, sed non deam Fornacem, quam subtilitas posterioris temporis procreavit,[1]) commemorat.

Deinde habemus: »quis cum audiat deam Mutam, tenere risum queat? hanc esse dicunt, ex qua sint Lares nati et ipsam Laram nominant vel Larundam.« Nomina »Muta — Lara — Lares« ex Ovidio nata esse et ab Ovidio ut ita dicam reperta esse Wissowa ostendit.[2]) Sed Larunda Varronis esse videtur, quod eam neque Ovidius neque Arnobius afferunt.

Narrationem de Iove Pistore ex Ovidio ortam esse verisimillimum est, si duos locos comparamus. Unde autem Ovidius hauserit, statui non potest.

[1]) cf. Wissowa, Relig. u. Kult. d. Röm.² p. 142.
[2]) l. c. p. 189; Muenzer, Cacus, der Rinderdieb p. 99.

Reliquum est, ut loquar de Venere Calva et Armata.

De Venere Calva Servius eadem sed copiosius affert. Et verisimile est eum pariter atque Lactantium vel Lactantii auctorem quendam fontem sequi. Utrum autem haec per se Varroniana sint an alterius scriptoris, in medio relinquam. Eiusdem auctoris etiam verba de Venere Calva illis sequentia esse certum mihi videtur. Sane fieri potest, ut omnia, praesertim cum Servius saepissime ad Varronem se applicet, re vera Varronianam originem prae se ferant.

Si huius totius capitis indolem spectamus, observamus ex variorum scriptorum verbis id compositum esse. Itaque mihi non verisimile videtur Lactantium ipsum id confecisse, sed maximam partem in alterius scriptoris libro iam invenisse (ad quam rem infra redibo).

Iam vero pergamus de horum deorum cultu disputare.

γ. de »sacris mysteriisque« horum deorum.

In Lactantii disputatione de deorum cultu, quae a capite 21. orditur, Varronis nomen semel nobis occurrit. Ibi enim (21,6) de immolandorum hominum ritu Saturnio agit dicens ea de causa homines, etiamsi non ad aram immolari, attamen in Tiberim de ponte Mulvio mitti, quod oraculum id postulaverit verbis: *καὶ κεφαλὰς Ἀΐδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα*; sed quia vox *φῶτα* ambigua sit, facem illi et hominem iaci solere. Tum pergit id sacrificii genus ab Hercule, cum ex Hispania redierit, sublatum esse dici, tamen ritum permansisse, ut pro veris hominibus imagines e scirpo iaciantur. Deinde duos Ovidii locos ex fastis sumptos affert, qui eadem

fere commemorant. Hunc locum revera Varronis esse ex Macrobii Saturnalibus,[1]) ubi copiosius de hoc agitur et Varronis nomen indicatur, prorsus elucet. Mirschius[2]) haec iure in fragmenta antiquitatum rerum humanarum libri II. recepit, cum Mancinius[3]) dicat: »Lactantius illo loco non de Latinis, sed potius de vetustissimo eodemque turpissimo sacrificiorum genere loquitur: Latinorum nomen quasi exempli causa profert fragmentumque potius ad antiquitatum rer. div. librum XIII. referendum.« Sed ita res se habet: Primum Lactantius de barbaris loquitur, quibus venia dari possit, quod eorum religio cum moribus congruat; sed in Latinos, qui »liberalium disciplinarum studiis expoliti« tamen Latiarem Iovem sanguine humano colant, graviter consulit, et deinde pergit explicare hunc ritum immolandorum hominum etiam apud Romanos antiquum esse, idque ex eo concludit, quod Latini iam Herculis temporibus et antea Saturnum coluerint. Non igitur negari potest hoc loco Latinos solos respici, quod verba »apparet tamen anticum esse hunc immolandorum hominum ritum« Lactantii, von Varronis sunt.

In capite 21. Lactantius praeter Varronem etiam Pescennium Festum (3), Lucretium (14,48), Quintilianum (18), Lucanum (21), Ovidium (30,40), Germanicum Caesarem (38), Musaeum (39), Sallustium (41) affert. Praeterea autem quendam locum nomine non allato commemorem, qui ad Varronem redire videtur. Sed haec comparemus:

---

[1]) I 7,28—31.
[2]) l. c. p. 113.
[3]) l. c. p. 239.

Inst. I 21, 23—24: Ino postquam se praecipitavit, Leucothea materque Matuta et Melicertes filius eius Palaemon atque Portunus.

Aug. Civ. dei XVIII 14: Ino et eius filius Melicertes praecipitio spontaneo in mari perierunt .... Illam sane Melicertis matrem Leucotheam Graeci, Matutam Latini vocaverunt.

Serv. ad Georg I 437: .. Graece Palaemon et Leucothea sunt appellati, latini Portunus et Mater Matuta. Praeterea cf. Serv. ad Aen. V 241.

Singula etiam ab aliis scriptoribus commemorantur.[1]) Cum Ovidius in fastis (VI 473 ss) copiose de hac re agat, non excludo Lactantium ipsum ex eo pendere. Attamen cum Augustinus Varronis nomen antea et postea appellet, verisimile mihi videtur esse illam narrationem per se Varronianam esse.

δ. de cultuum origine.

In cap. 22. Lactantius de origine horum cultuum disserit. Semel Varronis nomen commemoratur in paragr. 10, ubi denuo doxographorum ratione praeter Gavii Bassi, Sexti Clodi, Lucilii locos etiam Varronis verba supplendi causa afferuntur, qui dixerit, Faunam tantae pudicitiae fuisse, »ut nemo illam quoad vixerit praeter suum virum mas viderit nec nomen eius

[1]) cf. Cic. Tusc. I 28; N. D. III 48; Prob. ad Georg. I. 437 cf. etiam Varronem l. l. VI 19, 20; Interp. Maii ad Aen. V 241.

audierit, qua de causa illi mulieres in operto sacrificent et Bonam Deam nominent.« Agahdius[1]) hanc narrationem in fragmentis libri XV. antiquitatum rer. div. enumerat. Similia inprimis apud Macrobium invenimus, qui item Varronem auctorem suum indicat.[2])

Immo certum mihi videtur, praesertim cum Varronis nomen paulo post afferatur, etiam locum Inst. I 22,9 illo praecedentem Varronianum esse: »sic ante Pompilium Faunus in Latio, qui et Saturno avo nefaria sacra constituit et Picum patrem inter deos honoravit et sororem suam Fentam Faunam eandemque coniugem consecravit.« Id concludo ex his duobis locis, quos componere mihi liceat:

Aug. C D XVIII 15: »ubi Saturni filius Picus ... De huius Pici patre Saturno ... Picum quoque similiter eius filium in talium deorum numerum receperunt ... Picus Faunum genuit ... Hos ante Troianum bellum divinos honores mortuis hominibus detulerunt.

Serv. in Aen. X 76: Nam Stercutii Picus, Pici Faunus, Fauni filius est Latinus.

Quamquam Servius Varronem auctorem suum indicat, tamen illud non totum affert; id autem apud

[1]) frgm. 16 c.

[2]) Sat. I 12,21 ss; praeterea: Tert. ad nat. II 9; Serv. in Aen. VIII 314.


Augustinum nobis occurrit, quem Varroniana illo loco conferre Kettner[1]) ostendit.[2])

Id verisimilius fit ex eo, quod in Inst. epitoma, ubi haec repetuntur, duo loci, quos iam memoravi, contracti sunt.[3])

Mancinius[4]) se Varronianam originem in Inst. I 22, 22—23 detexisse opinatur, ubi loco ex »Sacra Historia« allato audimus Iovem, postquam rerum potitus sit, in tantam venisse insolentiam, ut ipse sibi fana multis locis constitueri. Et in paragr. 23 Lactantius pergit: »sic constituta sunt templa Iovi Ataburio, Iovi Labryandio: Ataburus enim et Labryandus hospites eius atque adiutores in bello fuerunt; item Iovi Laprio, Iovi Molioni, Iovi Casio et quae sunt in eundem modum.« Per se Varronem de quibusdam Iovis cognominibus fortasse in saturis[5]) egisse elucet et ex Tertulliano, qui dicit (ad. nat. I 10): »Romani stili Diogenes Varro trecentos Ioves seu Iuppiteres dicendum est, sine capitibus induxit« et ex Augustino (C D VII 11): »Dixerunt Iovem Victorem, Invictum, Opitulum, Impulsorem, Statorem, Centumpedam, Supinalem, Tigillum, Almum, Ruminum et alia, quae persequi longum est.« Sed haec cognomina omnia ad »causas potestatesque diversas« pertinent.

¹) Varron. Studien p. 73.

²) Apud Lactantium igitur et Augustinum dei secum hac propinquitate coniuncti sunt:



³) cap. 17, 1.

⁴) l. c. p. 309.

⁵) cf. Petron. ed. Buecheler⁴ p. 226; 582.

Meo igitur iudicio haec verba, quae Euhemero valde assentiunt, pariter ac praecedentia, quibuscum angustissime cohaerent, Sacrae Historiae attribuenda sunt, quod etiam Geyza Némethy in editione Euhemeri reliquiarum optimo iure fecit.[1])

Sed iam perstringamus, quae veriloquia in Lactantii operibus Varronis esse videantur.

B. De veriloquiis.

Variae sunt singulorum verborum definitiones, quae ubique nobis occurrunt et ad nomina propria et ad corporis membrorum appellationes et alia verba pertinent et maximam partem sine dubio Varroni addendae sunt.

a) De nominibus propriis.

In Inst. I 6, 7, priusquam singulas Sibyllas enumerat, Lactantius ita habet Varronis nomine allato: »Sibyllinos libros ait [i. e. Varro] non fuisse unius Sibyllae, sed apellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes feminae vates Sibyllae sint a veteribus nuncupatae vel ab unius Delphidis nomine vel a consiliis deorum enuntiandis; *σιούς* enim deos, non *θεούς*, et consilium non *βουλήν*, sed *βούλλαν* appellabant Aeolico genere sermonis; itaque Sibyllam dictam esse quasi *θεοβούλην*.[2])

Eandem definitionem etiam Servius[3]) affert, sane pro »*θεοβούλην*« »*σιοῦ βουλή*« scribens. Apertum est ad

¹) Euhemeri reliquias collegit, Proleg. et adnot. instruxit Geyza Némethy [Értekezések a nyelv-és széptudományok köréből. Kiadja a magyar tud. académia XIV 11] Budapest 1889. frgm. XXVII p. 59.

²) Funaioli, Rom. Grammat. frgm. Lips. 1907, Vol. I frgm. 179 p. 247.

³) in Aen. III 445.

nomen Sibyllae declarandum vocem »σιοβυλήν«, id quod vetustiores editores etiam scripserunt, vel certe illam Servii »σιοῦ βουλή« optimam esse, id quod fortasse etiam Varro ipse habuit. Cum autem meliores codices Lactantii »θεοβούλην« [theobulen] tradant, Lactantium ipsum id dixisse iure statui potest.[1])

In inst. I 23, 5 extat: »Saturnus, qui sator est omnium deorum.« Id Varronianum esse elucet et ex Varrone ipso, qui in opere de lingua latina (V 64) dicit: »a satu dictus est Saturnus«, et ex Augustino, qui ita habet: (C D VII 13): »quid est enim et Saturnus? unus de principibus deus, penes quem sationum omnium dominatus est,«[2]) et (VII 3): »Ibi est et Saturnus propter ipsum semen,« ubi Varronis nomen etiam affertur.[3])

Praeterea hoc loco commemoranda sunt veriloquia Erichthonii et Cuninae vel Sami (Parthenii) insulae et Stercuti, de quibus iam supra egi.

Nunc de illis veriloquiis disputabo, quae ad corporis membrorum appellationes pertinent, simul autem spectabo, qui loci cum illis cohaereant vel cohaerere videantur.

b. De veriloquiis ad corporis membrorum appellationes spectantibus et locis cum illis cohaerentibus.

Ad hominum corpora pertinent veriloquia capitis, capilli, frontis, oculorum, palpebrarum, aurium, narium,

[1]) Ceterum cf. Brandtii adnot. crit. p. 20 s et Addenda in Proleg. p. CX. Praeterea commemoro etiam Hieronymum adv. Iov. I I vol II 306 D Vall., qui habet: »quodsi Aeolico genere sermonis Sibylla Θεοβούλη appellatur«; Aug. C D XVIII 23 Lactantium auctorem suum indicat.

[2]) Funaioli, l. c. frgm. Varronis 139.

[3]) cf. praeterea: Aug. C D VI 8; VII 19; Tert. ad nat. II 12; Macrob. Sat. I 10, 20; Arnob. 4, 9; Serv. ad Georg. I 21.

linguae, gingivae, tollium, pollicis, renum, vertibulorum, pedum, plantae, quae omnia in libro de opificio dei extant et maximam quidem partem Varronis logistorico Tuberoni, de origine humana, attribuenda sunt.[1]) Nam etiam ibi veriloquia Varronem protulisse Probus confirmat dicens (ad Verg. Buc. VI 31 p. 341 Thilo): »in eodem libro Varro interpretatur vitellum apellatum, quia generet vitalia.«

Sed suscipiamus singulos locos perscrutari. Op. 5, 6: »[caput] ut quidem Varro ad Ciceronem scribit, quod hinc initium capiant sensus ac nervi.«[2]) Brandtius[3]) locos, qui circumiacent, Varronianos esse non putat. Ad hoc Mancinius dicit[4]): »Lactantius verbi capitis significationem aperit, Varronis palam comprobans sententiam: ex Varrone procul dubio fluxerunt, quae sunt 5, 2; 5, 8; ita ut iniuria mihi Brandtius videatur adfirmasse contextum minime Varronianam originem ostendere: cum ad Varronem nos revocet eiusdem capitis paragr. 4, quo de spina dificillima quaestio perstringitur, quam Varro in Tuberone non praetermissurus erat.« Sed spectemus, quid Lactantius in hoc capite explicare velit. Agit de pedibus, qui producti sint, »ut alternis motibus solo fixa perducerent animal, quo mens tulisset aut quo petendi cibi necessitas provocasset,« tum de manibus, de spina (quasi carina), quae

[1]) cf. Krahner, De Varrone ex Marciani satura supplendo. 1846 (p. 18.); Wilmanns, De M. Ter. Varron. libr. grammat. p. 36 adn. 1; Usener, Epicurea p. LXXXV adn. 2; Dümmler, Academica p. 114; Brandt l. c. p. 266.

[2]) Wilmanns, l. c. frgm. 38. (p. 170); Funaioli, l. c. frgm. 30. (p. 198); Goetz-Schoell De lingua latina, Leipzig 1910. frgm. 33.

[3]) l. c. p. 260.

[4]) l. c. p. 235.

corporis crassitudinem comprehendat, de costis et ossibus et pergit (8): »in summo vero constructionis eius, quam similem navali carinae diximus, caput conlocavit, in quo esset regimen totius animantis . . . (sequitur capitis veriloquium). Tum disputat de pedum et brachiorum ossibus, quae sint in homine bina . . . conglobata nodis crassioribus, »ut et substringi nervis facilius et verti tutius possent, unde sint vertibula nominata.«

Quod veriloquium capitis ex libris de lingua lat. ortum esse Lactantius ipse concedit, cetera autem verba in illo libro non extitisse possunt, ab initio apparere videtur in hoc capite Lactantium praeter illud veriloquium nihil Varroni debere. Attamen fieri potest, ut nonnulla in Tuberone lecta sint, praesertim cum duo veriloquia pedum et vertibulorum Varroni accommodata sint. In paragr. 1 enim Lactantius iam caput commemorat, quod »ex ipsa corporis summa productum sit.« Quocum sequentia verba (cf. »itemque produxit«) angustissime cohaerent. In paragr. 6 autem denuo de capite agit et veriloquium capitis adiungit, quod sane per se minime, ut Brandtius[1]) recte exprimit, ad navis imaginem pertinet. Sed Lactantius, praesertim cum iam duo veriloquia hic extent, etiam hoc loco ad imaginem supplendam denuo Varronem arcessivit, puto, cum Tubero id non obtulerit, librum de lingua latina, quod ei optime hoc veriloquium aptum esse visum est. Itaque von excludo, id quod etiam Mancinius vult, cetera verba de ossibus, costis, spina, manibus, praecipue de pedibus et vertibulis, quorum veriloquia ceterum anguste cum verbis circumiacentibus cohaerent

[1]) l. c. p. 260.

simulque horum membrorum officia indicant, apud Tuberonem extitisse.

Op. 7,9: »texit ergo illud [caput] pilo et quia in summo futurum erat, quasi summum aedificii culmen ornavit, qui ornatus non est in orbem coactus aut in figuram pillei teres factus, ne quibusdam partibus nudis esset informis, sed alicubi effusus alicubi retractus pro cuiusque loci decentia; frons ergo vallata per circuitum et a temporibus effusi ante aures capilli et earum summa pars in coronae modum cincta et occipitium omne contectum speciem miri decoris ostentat.« Singulae veriloquii capilli partes hoc loco a Lactantio dilaceratae sunt, ut huius ille sibi non conscius fuisse videatur.[1]) Cum autem Varro Augustino teste[2]) vocem capilli declaraverit dicens: »capillus quasi capitis pilus,« conicere possumus etiam verba, quae apud Lactantium extant, re vera Tuberonis esse, etiamsi fortasse ecclesiae scriptor sua ratione mutavit vel amplificavit, itaque occasionem non nanctus est veriloquii indicandi.

In capite 8. Lactantius suscipit »totius hominis rationem et singulorum membrorum utilitates et habitus« explicare. Postquam de mente »in summa capite conlocata« et de eius aula »orbi et globo simili« disputavit, ita pergit: »Cuius cum summum fastigium naturali veste texisset, primorem partem quae dicitur facies necessariis membrorum ministeriis et instruxit pariter et ornavit ac primum quod oculorum orbes concavis foraminibus conclusit, a quo foratu frontem nominatam Varro existimat.«[3]) Tum pergit de auribus agere, et in paragr. 8.

[1]) cf. Brandt, l. c. p. 264.
[2]) Dialect. cf. Funaioli l. c. p. 278 frgm. Varron. 265.
[3]) Funaioli l. c. frgm. 427 (p. 361).

aliud veriloquium affert sine Varronis nomine: »[aures] quibus est inditum nomen a vocibus hauriendis, unde Vergilius vocemque his auribus hausi; aut quia vocem ipsam Graeci αὐδήν vocant ab auditu per immutationem litterae aures velut audes sunt nominatae.« Mancinius[1]) verba de capite in universum (8,5) et de oculo eiusque structura (8,7) Varronis esse putat contra Brandtium,[2]) qui veriloquium frontis non cum ceteris verbis cohaerere iudicat. Cum Lactantius in hoc capite singulorum hominis membrorum etiam habitus explicare velit, proximum est eum de mente et de capite »orbi et globo simili« locutum frontem non omisisse. Ea de causa igitur quodam iure verba cohaerere dici posse puto, neque excludo Mancinium etiam verba circumiacentia Varroni addicentem vera sensisse.

Quomodo autem se habet veriloquium aurium?[3]) Prima definitio ex Vergilio (IV 359 Aen.) petita esse potest, quod eius versum Lactantius affert. Sed fieri potest, ut sequens veriloquium ex Graeca lingua derivatum a Varrone pendeat. Ita animum advertam ad verba: »per immutationem litterae,« quae in cap. 12, ubi in mulieris definitione Varronis nomen indicatur, paululum mutata redeunt: »immutata et detracta littera.« Huc accedit, quod etiam paragr. 10. de videndi causa agens Varronis esse videtur. Ibi enim Stoicorum et Epicureorum sententias Lactantius reicit, quorum nomina sane

[1]) l. c. p. 235.

[2]) l. c. p. 260.

[3]) Aurium tantum definitionem Lactantius in libro de lingua latina VI 83 commemorat: »auris ab ave [t] o, quod his avemus di[s]cere semper, quod Ennius videtur ἔτυμον ostendere velle in Alexandro cum ait: iam dudum ab ludis animus atque aures avent avide exspectantes nuntium?«

non affert, sed quae Gellius[1]) nobis declarat. Cum autem mentiones doxographicae Varroni accommodatae sint, quod Brandtius[2]) exprimit, revera huius paragraphi auctor per se Varro esse videtur.

In cap. 10. Lactantius ad oculos revertit, quos deus, ut munitiores sint ab iniuria, ciliorum tegminibus occuluerit, unde oculos esse dictos Varroni placeat. In capite 8, 6, ubi Lactantii vel Varronis structuram capitis describere interest, legimus oculorum orbes foraminibus conclusos esse; hoc loco Lactantius hanc descriptionem amplificat et simul, qua de causa tegmina ciliorum extent, affert. Verisimile igitur est haec apud Tuberonem cohaerentia lecta esse pariter ac sequens palpebrarum veriloquium ex palpitatione, quamquam id etiam in libris de lingua latina fuisse constat, ubi sane vox palpebra per t scripta est.[3]) Ita conicio cum Mancinio,[4]) etiamsi, ut Brandtius[5]) vult, verba »pilis in ordinem stantibus vallatae . . . saeptum oculis decentissimum praebent« fortasse Ciceroni[6]) attribui possunt, tamen pragraphos 3. et 4., quae de acie et superciliis agunt, totam igitur officii oculi descriptionem, Varronianas esse. Qua de causa Brandtius[7]) non recte iudicare

[1]) N A V 16, de quo infra sub Gellio disputabo.

[2]) l. c. p. 284.

[3]) cf. Charisium p. 105, 14 K: »palpetras per t Varro ad Ciceronem XIII dixit; sed Fabianus de animalibus primo palpebras per b; alii dicunt palpetras genas, palpebras autem pilos. [Wilmanns l. c. frgm. 30 p. 161; Funaioli l. c. frgm. 17 p. 137; Goetz-Schoell l. c. in libr. XIII].

[4]) l. c. p. 235.

[5]) l. c. p. 261.

[6]) cf. De nat. deor. II 57, 143: munitaeque sunt palpebrae tamquam vallo pilorum.

[7]) l. c. p. 261.

videtur putans Varronis oculorum veriloquium apud Lactantium non iusto loco extare, quod oculi non perpetuo abdantur. Potius de oculorum loco inter supercilia, genas, nasum cogitari necesse esse putat. Sed non habemus, cur Lactantio, qui plane eloquitur tegmina ciliorum extare, ut oculi munitiores sint ab iniuria, non fidem habeamus.

In eiusdem capitis paragr. 16. hoc legimus: »habet praeterea [lingua] et aliud officium, quo in omnibus non tamen solo in mutis utitur, quod contritos et permolitos dentibus cibos colligit et conglobatos vi sua deprimit et transmittit ad ventrem. itaque Varro a ligando cibo putat linguae nomen impositum.« Primum conicio etiam verba huic veriloquio praecedentia: »quod . . . ventrem« Varroniana esse, quod angustissime inter se cohaerent.[1]) Hoc loco item magni momenti est linguae officium exprimere pariter atque in paragr. 18, ubi novum veriloquium nobis occurrit: »dentes . . . gingivis mollibus, quae a gignendis dentibus nominantur . . . honestavit.« Et optimum erit etiam hoc Varroni attribuere, quod tam anguste cum linguae veriloquio, cui auctoris nomen additur, cohaeret.

Duo sibi succedentia veriloquia habemus in cap. 11, 8; 9. Primum: »[nares] sic nominantur, quia per eas vel odor vel spiritus nare non desinit.« Verrius Flaccus p. 166, 19, quem Varrone saepius usum esse constat,[2]) ita definit: »Nares appellari putant, quod per ea nasi foramina odoris cuiusque nari flamus.« Sed id nullius

[1]) Ita Mancini l. c. p. 235; Id fieri posse Brandtius dicit l. c. p. 261.

[2]) cf. Reitzenstein, Verrinische Forschungen. Bresl. phil. Abhdlg. 1887. p. 20. 22

momenti est, quod Verrius saepe fontes suos corrigit.[1]) Etiam fieri potest, ut Varro complures definitiones composuerit, quod, ut Augustinus[2]) docet, ei minime obloquitur. Ceterum non excludo verba capitis 10 7, ubi de naso disputatur, qui ex tribus membris constitus sit et quorum duobus officium sit ducendi spiritus et capiendi odoris, cum illa narium definitione, ubi item de spiritu odoreque cogitatur, in fonte cohaesisse et pariter atque illa de oculis dicta[3]) a Lactantio separata esse. Cum autem Lactantius in cap. 10. verba de oculis palpebrisque ex Varrone petiverit, item haec de naso dicta ex eodem orta esse possunt.

Eidem auctori etiam sequens veriloquium: »ubi se tolles faucium spectantes uvam tollere incipiunt in tumorem,« attribuendum est, quod anguste cum illo cohaeret. Lactantium enim Ciceronem[4]) adhibuisse, qui eandem definitionem affert, non puto, quod pro »tolles« »tonsillae« scribit. Quod Brandtius[5]) dicit scriptorem veriloquii sibi non conscium fuisse, verba tam anguste coniuncta extant, ut statim sub oculos veriloquium cadat.

In cap. 13, 6 eodem modo atque apud Verrium[6]) veriloquium plantae occurrit, quam . . . artifex formavit, ut »stabile corpus efficeret planitie sua.« Fieri potest, ut Verrius et Lactantius eodem fonte, fortasse Varronis operibus usi sint.

[1]) cf. Reitzenstein, l. c. p. 30; 40.

[2]) cf. Dialectica: Funaioli l. c. frgm. 265 p. 281, ss.

[3]) cf. Diss. p. 35.

[4]) Nat. deor. II 135.

[5]) l. c. p. 263.

[6]) p. 230, 10 Paul p. 231 M; cf. Brandt p. 263.

In cap. 10, 24 legimus: »pollex . . . quod vi et potestate inter ceteros [digitos] polleat.« Eandem definitionem paululum mutatam vel potius amplificatam apud Ateium Capitonem [1]) habemus et in Corpore gloss. lat.[2]) Cum Capitonem saepius ex Varrone pendere ex Gellio sciamus,[3]) fieri potest, ut hoc etiam Varronis sit. Id ea de causa verisimilius fit, quod Lactantius in cap. 10. iam bis illius nomen indicat, etiam cetera veriloquia, quae Varroniana esse videntur, commemorat. Sin autem id Varroni additur, eius etiam verba praecedentia, quae cum eo cohaerent, »illud vero ... rector omnium atque moderator,« sunt.

In cap. 14, 3 Lactantius Varronis veriloquium »rienum« reicit: »quod rienum gemina similitudo? quos ait Varro ita dictos, quod rivi ab his obsceni umoris oriantur.« Brandtius[4]) hoc rursus non cum iis verbis, quae circumiacent, cohaerere opinatur, quod Lactantius explicet vim rationemque interiorum membrorum cognosci non posse, Varro autem hoc loco renum officia profiteatur; sed Mancinius[5]) totum caput 14. Varronis, adversarii aliarum sententiarum, esse arbitratur. Sed perscrutemur huius capitis argumentum. Lactantius orditur ab elocutione multa in corpore esse, quorum vim rationemque perspicere nemo nisi qui fecerit possit. Tum singula enumerat: (2) »quid effectus habeat tenuis membrana?« . . . (3) »quid

[1]) ap. Macrob. Sat. 7, 13, 11 ex libris de iure pontificio (Funaioli l. c. frgm. 3 p. 564).
[2]) V 556, 8.
[3]) cf. Mercklin, Quaest. Varron. in Ind. Schol. Univ. Dorpat 1852 (p. 18).
[4]) l. c. p. 262.
[5]) l. c. p. 236.

rienum gemina similitudo?« (Sequitur definitio Varronis eiusque reiectio.) (4) »quid splenis? quid iecur? . . . quid fellis amarissimus liquor? quid globus cordis?« Sequuntur quorundam sententiae de officiis fellis, cordis, splenis, iecoris; tum omnes has sententias Lactantius reicit. Mancinio non assentire possum, cum Inst. VI 15, 4 reminiscar, ubi legimus: »quodsi ut medici adfirmant, laetitiae adfectus in splene est, irae in felle, libidinis in iecore, timoris in corde, facilius est interficere animal ipsum quam ex corpore aliquid evellere . . .« Utique vox »medici« significare mihi videtur illas sententias inter omnes notas fuisse, ut Lactantium ipsum haec scripsisse putari possit, praesertim cum renum officii genus ab aliis prorsus discrepet. In capite 12, 2 Lactantius dicit: »sicut enim rienes duo sunt itemque testes, ita et venae seminales duae,« qua re Brandtius[1]) adductus est, ut illam renum definitionem cum his verbis apud Varronem anguste cohaesisse putet. Sed id mihi non verisimile videtur esse, quod illo loco maxime eius interest de duabus venis seminalibus dicere, quoniam omnino de conceptione et procreatione ibi loquitur; at renes testesque leviter ad comparationem attrahit. Itaque non puto Varronem illo loco etiam simul de renum officio egisse.

Vidimus igitur veriloquia in libro de opificio dei reperta maximam partem Varroni attribui posse. Sed iam spectemus, quomodo alia, quae apud Lactantium legimus, se habeant.

c) De aliis veriloquiis.

Tractanda sunt veriloquia vocum animae, viri mulierisque, verborum, muti, *ἀνθρώπου*.

[1]) l. c. p. 262.

In cap. 17. libri de opif. dei Lactantius de anima ipsa disserit. Et sententias affert singulorum philosophorum de anima vel animo, quorum dicant alii eam esse sanguinem, alii ignem, alii ventum, unde anima aut animus nomen acceperit, quod graece ventus ἄνεμος dicatur. Tum sequitur harum sententiarum repudiatio, et in paragr. 5. legimus: »at illi qui ventum putant, hoc falluntur, quod ex aere spiritum ducentes vivere videmur.« Atque affert animae definitionem Varronis nomine allato, qui dixerit illam esse »aerem conceptum ore, defervefactum in pulmone, temperatum in corde, diffusum in corpus,« quod iterum statim reicit verbis: »an si quispiam dixerit aeneum esse caelum aut vitreum aut, ut Empedocles ait, aerem glaciatum, statimne adsentiar, quia caelum, ex qua materia sit, ignorem?« Haec proxima verba etiam ex parte Varronis esse, Krahner[1]) et Dielsius[2]) ex Probi commentario[3]) collegerunt. Quaeritur vocisne etiam animi definitio ex Graeca lingua derivata Varroniana sit. Lactantii verbis voces »ἄνεμος« et »aer« quodammodo inter se cohaerent, quod dicit eum animum ventum esse putare, qui ex aere spiritum ducens vivere videatur. Cum autem Varro in animae definitione, quae illa verba sequitur, animam aera nominet, facile fieri potest, ut illud veriloquium revera apud Tuberonem extiterit, id quod Mancinius[4]) etiam ex Servii verbis[5]) concludit, »qui, ut verborum

[1]) Commentatio de Varrone ex Marciani Capellae satura supplendo. Cap. I. De Varronis philosophia. Gymn. prog. Friedl. 1846 p. 18.
[2]) Doxographi Graeci p. 198, adn. 1.
[3]) ad. Buc. VI 31 p. 341.
[4]) l. c. p. 233.
[5]) ad. Aen. I 57.

significationem declaret, Varronem sibi praecipuum ne dicam unicum elegerit auctorem« et dicat: »animos id est ventos ἀπὸ τῶν ἀνέμων.«

In capite 12. eiusdem libri, quod agit de utero et conceptione, ita habemus: »vir itaque nuncupatus est, quod maior in eo vis est quam in femina, et hinc virtus nomen accepit: item mulier, ut Varro interpretatur, a mollitie, immutata et detracta littera, velut mollier.« Veriloquium igitur mulieris Varroni assignatur. Sed etiam declarationem vocis viri ex Varrone pendere pro certo haberi potest, quod haec duo veriloquia anguste cohaerent et Varro ipse in opere de lingua latina dicit: »virtus ut viritus [viri vis est Scaligeri coniectura incerta] a virilitate, quamquam etiam Cicero eandem definitionem affert.[1]) Omnino certum est totum caput 12. ex Varronis Tuberone ortum esse. Id enim ex eo elucet, quod cum Lactantius Varronis Aristotelisque sententias de utero et conceptione et procreatione nominibus allatis profert (in paragr. 6, 8, 12 ss), tum a Censorino, qui Tuberonem ipsum adiit, hae quaestiones eadem ratione tractantur atque a Lactantio.[2])

Op. dei 15, 1: »grammatici quidem ac philosophi vocem esse definiunt aerem spiritu verberatum: unde verba sunt nuncupata.« Etiamsi Lactantii verba: »grammatici quidem ac philosophi« testantur illud veriloquium inter omnes notum fuisse, tamen ex Augustino

[1]) Nat. Deor. II 43: »ex viro virtus.«
[2]) cf. Cens: 5, 2 ss; 6, 1, 4 ss; 7, 1; 9, 1 s. Diels, Doxogr. Gr. p. 186 ss; Hahn, De Censorini fontibus. Diss. Jena p. 8. Brandt, l. c. p. 266.

fieri potest, ut eius origo Varroniana sit. Augustinus[1]) enim ita habet: »verba ipsa quispiam ex eo putat dicta, quod aurem quasi verberent; immo, inquit alius, quod aerem.«

Aliud veriloquium cum sequentibus paragraphis 11—13 cohaerens legimus in eiusdem libri capite 11, 11: »cur homines muti sint . . . hi vocalem illum spiritum per nares quasi mugientes profundunt.« His verbis revera veriloquium significari Nonius docet (p. 14 Lindsay): »mutus onomapoeia est incertae vocis quasi mugitus. nam mu sonus est proprie, qui intellectum non habet.« Fieri potest, quod Brandtius[2]) vult, ut Lactantius veriloquii sibi non conscius fuerit; sed per me licet verba »quasi mugientes« supervacanea esse videntur, nisi exprimi necesse est mutos mugientibus pares esse; itaque Lactantium tamen, id voce »quasi« explicantem, hunc consensum optime sensisse puto. Verisimillimum est hoc veriloquium ex eodem fonte petitum esse atque illa narium tolliumque, quae ab eo non multum absunt. Cum Nonius saepius Varronem in opere suo componendo adhibeat, non excludendum est eum etiam haec verba sua ex illo petivisse eodem modo atque Lactantium.

Mancinius[3]) etiam de veriloquio ἀνθρώπου in disputatione sua cogitat, quod in Inst. II 1, 16 invenitur. Id autem iam in Platonis Cratylo[4]) extat neque demonstrari potest, ex quo Lactantius pendeat.

[1]) Dialect. (Funaioli l. c. frgm. 265 p. 281).
[2]) l. c. p. 263.
[3]) l. c. p. 234.
[4]) p. 399 C; cf. Prellwitz, Etymol. Wörterb. der griech. Sprache[2] p. 41.

Quibus explicatis statui potest ex libro de opif. dei solum veriloquium capitis in opere de lingua latina solo extitisse; cetera autem omnia in Tuberone lecta esse pro certo haberi potest. Sed per se ea etiam in aliis operibus repetita esse possunt, quod Varroni minime obloquitur.

C. De locis ad philosophiam pertinentibus.

Certum mihi videtur esse Lactantii verba de igni et aqua adhibitis in nuptiis in Inst. II 9, 21 reperta Varronianam originem ostendere. Ibi enim, ut veterum philosophorum de igni aquaque sententias reiciat postquam quosdam Ovidii Metamorphoseon versus attulit, ita pergit: »alterum quasi masculinum elementum est, alterum quasi femininum, alterum activum, alterum patibile. ideoque a veteribus institutum est, ut sacramento ignis et aquae nuptiarum foedera sanciantur, quod fetus animantium calore et umore corporentur atque animentur ad vitam; cum enim constet omne animal ex anima et corpore, materia corporis in umore est, animae in calore: quod ex avium fetibus datur scire, quos crassi umoris plenos nisi opifex calor foverit, nec umor potest corporari nec corpus animari; exulibus quoque igni et aqua interdici solebat: adhuc enim nefas videbatur quamvis malos, tamen homines supplicio capitis adficere; interdicto igitur usu earum rerum, quibus vita hominum constat, perinde habebatur, ac si esset qui eam sententiam exceperat morte multatus. adeo duo ista elementa prima sunt habita, ut nec ortum hominis nec vitam sine his crediderint posse constare.« Ad haec cf. verba paulo supra (15): »duo igitur illa principalia inveniuntur,

quae diversam et contrariam sibi habent potestatem, calor et umor, quae mirabiliter deus ad sustentanda et gignenda omnia excogitavit.« Varronem item de ignis et aquae in nuptiis usu disputasse, apertum fit ex libro de lingua latina V 61: »Igitur duplex causa nascendi ignis et aqua; ideo eo nuptiis in limine adhibentur, quod coniungit;« sed etiam aliis locis Varro de hac re egit[1]) et multi scriptores eum secuti esse videntur,[2]) fortasse etiam Ovidius, qui praecipue eum in morum origine tractanda[3]) adhibuit. Apud illum ita legimus: (in fast. IV 791 ss).

Aut quia cunctarum contraria semina rerum
Sunt duo discordes, ignis et unda dei,
Iunxerunt elementa patres, aptumque putarunt
Ignibus et sparsa tangere corpus aqua
Ibi quod in his vitae causa est, hunc perdidit exul,
His nova fit coniunx, haec duo magna putant.[4])

Lactantium autem non ex Ciceronis Academicis[5]) pendere, ubi similia audimus, ex eo apparet, quod ex parte copiosior est quam Cicero.

Sed haec comparemus:

Inst. VII 14, 8 ... unde septenarius numerus legitimus ac plenus est. nam et dies septem sunt, quibus per vicem revolutis orbes conficiuntur annorum et

Gellius Noct. Att. III 10: Varro in primo librorum, qui inscribuntur hebdomades.. septenarii numeri virtutes potestatesque ... dicit. Is namque numerus se-

1) de vita pop. Rom. II ap. Non. p. 161 (L.); p. 268=469 (L.)
2) Paul. p. 2, 15; Plut. quaest. Rom. I. Serv. ad. Aen. IV 167.
3) cf. Peter, in edit. Ovid. fast. praef. p. 15. Lips. 1889.
4) cf. Samter, Quaestiones Varronianae. Diss. Berl. 1891 p. 41.
5) Acad. post. I 7, 26.

septem stellae, quae non occidunt· et septem sidera, quae vocantur errantia, quorum dispares cursus et inaequabiles motus rerum ac temporum varietates efficere creduntur.

ptentriones maiores minoresque in caelo facit. facit etiam stellas, quas alii erraticas, P. Nigidius errones appellat ... Ac neque ipse zodiacus septenario numero caret; nam in septimo signo fit solstitium a bruma, ... in septimo aequinoctium ab aequinoctio ...

Quamquam hi duo loci non ad verbum consentiunt, tamen eos sensu inter se cohaerere nemo negabit. Cum autem Gellius ipse afferat, unde hauserit, apertum est Lactantii verba ex Varrone ipso non fluxisse posse. Immo certum videtur esse Lactantium alio fonte, qui ex Varrone pendet, usum esse, quod etiam ut exemplum afferam promiscuus usus verborum stellae et sideris ostendit, de qua re Isidorus (orig. III 60 L) haec verba facit: »Stellae et sidera et astra inter se differunt. Nam stella est quaelibet singularis: sidera vero sunt stellis plurimis facta ut Hyades, Pleiades ... Sed haec nomina scriptores confundunt et astra pro stellis, et stellas pro sideribus ponunt.« Sane quidem apud Ciceronem similes locos invenio, in libro de div. II 89 et aliis.[1]) Cum autem ibi nihil de numeri septenarii vi inveniri possit, id hoc loco non respicitur. Sed non negari potest genus

1) de div. II 89: »eamque vim varie moveri ab iis sideribus, quae vocantur errantia.« Nat. Deor. II 20, 51: »stellarum, quae falso vocantur errantes.« Tusc. I 25, 62: »stellarum errantium.«

dicendi Ciceroniani hic eius animo observatum esse. Utique autem loci argumentum per se Varronianum est.

In Inst. III 24, 5 s. Lactantius illorum philosophorum sententiam reicit, qui existimaverunt »rotundum esse mundum sicut pilam et ex motu siderum opinati sunt caelum volvi; sic astra solemque, cum occiderint, volubilitate ipsa mundi ad ortum referri; itaque et aereos orbes fabricati sunt quasi ad figuram mundi eosque caelarunt portentosis quibusdam simulacris, quae astra esse dicerent; hanc igitur caeli rotunditatem illud sequebatur, ut terra in medio sinu eius esset inclusa.«

Similia fere etiam in Ovidii fastis legimus,[1]) neque excludo Lactantium eum adiisse.[2]) Etiam Verrius Flaccus[3]) et Cicero[4]) nonnulla de hac re disputant. Sed non ita consentiunt, ut Lactantium illos adhibuisse putemus. Potius alius locus occurrit et quidem Varronis ipsius in libro de lingua latina (VII 17), ubi ille eodem modo atque Lactantius terram »pilam« et »mundi mediam« nuncupat.[5]) Fieri igitur potest, ut Varro alio loco hanc rem copiosius tractaverit.

Lactantius postquam in Inst. III 17 Epicuri doctrinam acerbissime reprehendit atque derisit, quosdam Lucretii versus[6]) illum philosophum praedicantes affert et pergit tolerabile esse, si hoc de Socrate quidem aut Platone dicatur, qui velut reges habeantur philosophorum, non

[1]) VI 263 ss.
[2]) cf. ad hoc Merkel, Edit. Ov. fast. praef. p. CI.
[3]) ap. Fest. p. 262, 26 M.
[4]) Tusc. I 68.
[5]) cf. etiam Nonium p. 525 (Lindsay), qui verba sua ex Varrone hausit.
[6]) de rer. nat. III 1043 s.

autem cum homo laudetur, »quo sano ac vigente nullus aeger ineptius deliravit.« Quamquam similis locus apud Ciceronem[1]) invenitur, tamen his verbis de Epicuro factis potius illa Varronis apta esse videntur, apud quem contrarium aegroti et sani magis exprimitur:

»Postremo nemo aegrotus quicquam somniat
Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus.«[2])

Quaedem analogia horum duorum locorum non negari potest, quamquam Varronem Lactantii auctorem hic esse non puto.

De his locis, qui de philosophia vel philosophis agunt, Mancinius nihil dicit. Sed aliquid novi affert[3]) arbitratus locum Inst. II 5 Varronianum esse, ubi Stoicorum sententias Lactantius reicit, qui elementa pro diis habeant, stellas pro animantibus, Deum pro mundo. Sane quidem ex Tertulliano[4]) et Augustino[5]) apparet Varronem quoque de illa re egisse; sed pro certo haberi potest hoc loco Lactantium potius Ciceronem[6]) adhibuisse, qui eadem fere commemorat et cuius nomen etiam in hoc capite indicatur. Cicero autem non e Varrone sed e Posidonio pariter atque Varro ipse pendet.[7])

[1]) de div. II 119.
[2]) ap. Nonium p. 79 (L.); Petron. ed. Buecheler[4], append. frgm. VI. Eumenid.
[3]) l. c. p. 309 ss.
[4]) cf. ad nat. II 3; 5.
[5]) cf. Civ. dei VII 6.
[6]) cf. nat. deor. II 17; 30 ss; 54 ss.
[7]) Hirzel, Untersuchungen zu Ciceros philos. Schriften vol. I. De nat. deor. Leipz. 1877 p. 204 ss. Schmekel, Die Philosophie der mittleren Stoa. Berlin 1892. p. 98 de Cicerone. p. 144 de Varrone. Wendland, Posidonius' Werk περὶ θεῶν in Archiv für Gesch. der Philosophie, Vol. I. Berl. 1888 p. 206.

In Inst. II 12, 4: Lactantius Varronis poema quoddam ad philosophiam pertinens commemorat. Cum autem haec ex Quintiliano pendeant, infra de hoc loco disputabo.

D. De annis Aegyptiorum.

Reliquum est, ut locum Inst. II 12, 20 ss tractem. Lactantius enim explicat mortem hominem secundum dei sententiam sequi, et postquam tres Sibyllae versus ad illud pertinentes protulit, sententiam Varronis, qui hominis vitam in mille annos prorogari Aegyptios credidisse declarare vult, reicere suscipit. Ibi legimus: »[Varro] ait apud Aegyptios pro annis menses haberi, ut non solis per duodecim signa circuitus faciat annum, sed luna, quae orbem illum signiferum triginta dierum spatio lustrat. (23) et auctores idonei tradunt ad centum viginti annos perveniri solere. [sed quia ignorabat Varro, cur aut quando esset vita hominis deminuta, ipse deminuit, cum sciret mille et quadringentis mensibus posse hominem vivere].« Pro certo haberi potest hanc Lactantii disputationem ex antiquitatibus rerum humanarum ortam esse, si Censorini verba (17, 4 ss et 19, 2) de annis saeculisque agentia spectamus, quae ex illo Varronis opere fluxisse apertum est. Cum Lactantius hoc loco de vita humana disserat itemque eius verbis Varro, certius mihi videtur esse Mirschium[1]) secuto iure haec antiquitatum rerum humanarum libro XIV. de aevo vel aetate humana qui inscribitur[2]) attribui

[1]) De M. Ter. Varronis antiquit. rer. hum. libr. XXV in Leipz. Stud. V.

[2]) cf. Hahn, l. c. p. 44.

quam Tuberoni[1]) aut antiquitatum rer. hum. libro XV. de saeculis aut libro XVII. de annis, quod Brandtius vult.[2])

E. Lactantiusne Varronem ipsum adierit.

Denique quaeritur, utrum Lactantius Varronem ipsum adierit an alium scriptorem, qui medius intercessit inter Varronem et Lactantium.

Primum spectemus, Lactantiusne Tuberonem ipsum legerit.

I. Cur Lactantius operis nomen in libro de opificio dei, quamquam eum plerumque ibi Tuberonem adhibuisse constat, numquam affert, cum in aliis operibus saepissime et auctoris et operis nomina addat? Contra hanc Brandtii[3]) sententiam Mancinius[4]) se vertit varios locos ex Inst. afferens, quibus opus non nominetur. Sed is maxime in Ciceronis verba oculos conicit neque videt Lactantium unico quidem loco nisi compluribus nomen operis, quod saepius adhibet, accurate indicare; nec facile fieri potest, ut Cicero, quem ex omnibus scriptoribus summum auctorem elegit et ut ita dicam ubique fere commemorat, omnibus locis cum operis nomine coniunctus appelletur. Attamen concedo Brandtii causam non firmam esse, quod omnino in hoc opere fontes, quoad propositum suum tangunt, accuratius non indicat. Sed alias causas ex quibus Tuberonem a Lactantio non ipsum adhibitum esse Brandtius iudicat, perstringamus.

II. In Inst. II 10, 13 Lactantius de illis auctoribus, qui de constitutione indoleque corporis humani scri-

[1]) Ita Diels, Doxogr. gr. p. 186 ss.

[2]) l. c. p. 267 adn.

[3]) l. c. p. 270.

[4]) l. c. p. 312.

pserunt, dicit atque tantum Hermetem Trismegistum Ciceronemque commemorat sed non Varronem. Verba autem sunt haec: »Hermes . . . explanare temptavit, quam subtili ratione singula quaeque in corpore hominis membra formaverit, cum eorum nihil sit, quod non tantundem ad usus necessitatem quantum ad pulchritudinem valeat. Id vero etiam stoici, cum de providentia disserunt, facere conantur et secutus eos Tullius pluribus quidem locis . . .« Agitur ibi de illis scriptoribus, qui dei providentiam maxime spectarunt, id quod Mancinius[1]) Tuberonis consilium esse negat, quoniam tantum veriloquia oculi et linguae officium demonstrent, natura autem veriloquiorum ipsorum huiusmodi declarationem pro cuiusque membri officio poscat. Sed haec Mancinii sententia mihi non recta videtur esse. Nam si singula veriloquia videmus, reperimus saepius quam illis duobus locis membrorum officia commemorari.[2]) Cur tamen Lactantius in Inst. Varronis Tuberonem non appellavit? Conicio ea de causa quod Lactantii illo loco non interest statuere officia membrorum sola, sed potius etiam eorum pulchritudinem ab illis scriptoribus praecipue respici, id quod Varronem in Tuberone fecisse ex verbis in libro de opificio dei repertis minime elucet.

III. Tum Brandtius tria veriloquia capilli, muti, tollium affert, quae talia a Lactantio non indicantur. Qua de causa putat Lactantium horum sibi non conscium fuisse itaque alium fontem ex Varrone pendentem adhibuisse.

[1]) l. c. p. 313.
[2]) cf. veriloquia pedum, capilli, renum, omnino capitis 10.

Brandtii sententiam non verisimilem esse iam supra in singulis veriloquiis memoratis[1]) ostendi.

Utique quamquam non apertum est Lactantium Tuberonem ipsum adiisse, tamen verisimillimum est, cur non, quoniam Censorinum, qui item aliquanto post Varronem scripsit, Tuberonem legisse constat, quod nuper A. Hahnius[2]) ostendit.

Sed ad alia scripta, quibus Lactantius usus sit, transeamus. De libris antiquitatum rerum humanarum Mirschius[3]) iure puto ita iudicat: »Tertullianum, Arnobium, Lactantium, Hieronymum, Augustinum, Isidorum antiquitates rerum humanarum legisse negaverim, cum ne Augustinus quidem, qui illorum librorum veriorem nobis dedit imaginem, eo inspexisse, sed quae proferat de illorum quadripartita distributione, ex antiquitatibus rerum divinarum sumpsisse videatur.«

Eadem conici possunt de hebdomadibus et poemate de rerum natura.

Quomodo autem se habent libri de lingua latina et antiquitatum rerum divinarum? Unico loco libri de op. dei 5, 6 Lactantius libros grammaticos commemorat. Attamen non excludere licet Lactantium eos cognovisse, cum diu inter omnes noti fuerint et Lactantius, qui Nicomediae latinam eloquentiam docuit, peritissimus veterum disciplinarum fuerit[4]).

Contra Brandtium, qui breviter significat Lactantium

[1]) cf. Diss. p. 33; 37; 42.
[2]) l. c. p. 45.
[3]) l. c. p. 64 s.
[4]) Ita Mancinius l. c. p. 314.

antiquitates rerum divinarum ipsas non cognovisse[1]), Mancinius[2]) se vertit tres causas sententiae suae afferens.

I. Verba Inst. IV 15, 27: »Quod profecto non putabit, qui Ciceronem Varronemque legerit aliosque veteres...«, quibus Mancinius maximam fidem habet, nihil probare mihi videntur. Nam ibi nihil aliud spectat nisi Sibyllarum indicem Inst. I 6 commemoratum; sin autem Mancinius putat idcirco scriptorem revera Varronem ipsum legisse necesse esse pariter atque Ciceronem, ubi »alii veteres« manent, quos eum tantum ex Sibyllarum indice cognovisse planum est?

II. Tum Mancinius argumentandi causa fabulam de Aesculapio[3]) affert, quam ex Varrone fluxisse Schwarzius[4]) constituit. Is enim hoc ex eo concludit, quod Tertullianus[5]) eadem affert, sed Argivum Socratem, non Tarquitium, quem Lactantius indicat, auctorem suum nominat. Cum igitur alter ex altero non pendere possit, uterque ex eodem fonte, ubi iam Argivus Socrates et Tarquitius compositi fuerunt, Schwarzii sententia ex Varrone id petivit. Et Mancinius ex eo elucere putat Lactantium Varronem ipsum legisse necesse esse. Hunc autem locum non ex Varrone pendere Agahdius[6]) satis ostendit.

III. Ea de causa etiam Mancinius sententiam suam tenet, quod Lactantius saepius eadem vel copiosius atque ceteri ecclesiae scriptores tradit, ut alter ex al-

[1]) l. c. p. 280 adn. 1.
[2]) l. c. p. 314.
[3]) cf. Inst. I 10, 3 et epit VIII 1.
[4]) l. c. p. 426.
[5]) ad nat. II 14.
[6]) l. c. p. 44 s.

tero pendere non possit. Auctorem igitur communem Varronem esse putat. Sed quam infirmum id sit, ut exemplum afferam, narratio de Saturno Ianoque docet[1]), quae ex Varrone ipso non petita esse potest.

Quibus explicatis quaeritur, utrum Lactantius revera antiquitates rerum divinarum ipsas inspexerit necne. Inprimis videamus, quos locos a Varrone ipso Lactantium non petivisse satis certum videatur esse. Ita Sibyllarum indicem spectemus, ubi Varronis verba ita decurtata sunt,[2]) ut scriptorem ecclesiae ea iam apud alterum auctorem composita invenisse putare possimus, quoniam Lactantium aliis locis auctores suos satis accurate adhibuisse constat. Eodem modo se habent omnes fere illi loci, quos Lactantium ex Varronis operibus hausisse ex Augustino, quem antiquitates legisse certum est, cognovimus,[3]) et loci ad philosophiam spectantes,[4]) qui per se Varroniani esse videntur, attamen iam ita mutati sunt, ut eos ex Varrone ipso petitos esse arbitrari difficile sit..

Etiamsi hae causae non satis firmae sunt, observemus Inst. I 20, ubi multa Varroniana extare pro certo haberi potest, sed quae capitis indole, ut Agahdius[5]) et Muenzer[6]) optimo iure exprimunt, ex auctore, qui Varronem adhibuit, pendere videntur. Idem narratio de Saturno Ianoque testatur.[7]) Si adhuc consideramus Varronem, »quo nemo unquam doctior ne apud Graecos

[1]) cf. diss. p. 14.
[2]) ibid. p. 10.
[3]) ibid. p. 15; 16; 26; 27.
[4]) ibid. p. 43 ss.
[5]) l. c. p. 68.
[6]) Cacus, der Rinderdieb p. 99 adn. 115.
[7]) cf. diss. p. 14.

quidem vixit«, a Lactantio pro rata parte paucis tantum locis commemorari, confirmare non ausim scriptorem ecclesiae antiquitates divinas ipsas adiisse.

Iam vero videamus, quid Senecae philosopho Lactantius in operibus suis componendis debeat.

II. De Seneca philosopho.

Notum est Senecam alicubi ad christianorum fidem prope accedere[1]) cum in operibus suis nobis servatis tum in illis, quorum inscriptiones per Lactantium solum traduntur in libris moralis philosophiae, in libro de immatura morte, maxime autem in exhortationibus, in quibus »oratio ad sacrarum orationum, quas in christianorum aedibus audimus, similitudinem speciemque paulatim accessit«.[2]) Itaque non mirum est scriptores ecclesiae »gaudentes sibi ab inclytissimo philosopho non argumenta tantum, sed et convicia adversus falsos deos suppeditari«, saepius eius verbis atque argumentationibus usos esse, qua ratione etiam Lactantius multos locos praecipue in Institutionibus attulit. In altera igitur dissertationis parte illa apud Lactantium reperta conferre et tractare in animo habeo. Priusquam autem singula perscrutor, primum de his fragmentis in universum, tum de eo quomodo Lactantius philosophum paganum aestimet, loquar. In omnibus

[1]) cf. R. Burgmann, Senecas Theologie in ihrem Verhältnis zum Stoizismus u. zum Christentum. Diss. Jena 1872 p. 24. Lévy-Bruhl, Quid de deo senserit Seneca. Paris 1884 p. 115. Baumgarten, Seneca u. das Christentum in der tiefgesunkenen antiken Welt. Rostock 1895 p. 99. Schoell, Hist. de la litterature rom. tom. II p. 448.

[2]) cf. Hartlich, De exhortationum a Graecis Romanisque scriptarum historia et indole. (Leipz. Stud. XI 1889) p. 305.

fere fragmentis illud »fractum dicendi genus« et »minutissimas sententias«[1]) invenimus, quae quamquam exigua amplitudine, tamen »subtili argumento«[2]) sunt. Libros moralis philosophiae non partim ex epistulis moralibus servatis partim ex deperditis ortos vel compositos esse, quod Hilgenfeldus[3]) vult, elucet cum ex accurata inscriptionum appellatione tum ex institutionum libro VI 17, 28.[4]) Senecam in illis scriptis per Lactantium servatis dialogi forma usum esse eodem modo atque in servatis, iam prior Rossbachius[5]) significavit et paulo post Hartlichius[6]) et Hirzelius[7]) et Schanzius[8]). Maxime autem in exhortationibus, in quarum fragmentis aperte philosophiae vituperatorem atque laudatorem in sermonibus alternis spectamus, dialogi formam persequi possumus. Lactantius ex Seneca verba petivit de dei proprietatibus, de paganorum fide, de virtute, de vitiis, de morte ac malis contemnendis, de hominum officiis, de philosophia eiusque magistris. Praeter paucos locos, ubi philosophum Lactantius deridet, eum summis laudibus effert. Nominat eum hominem acutum,[9]) omnium Stoicorum acutissimum,[10])

[1]) cf. Quintil. inst. orat. X 1, 125; 130.

[2]) cf. Norden, Antike Kunstprosa II p. 307.

[3]) De L. A. Senecae epist. moral. in annal. philol. Suppl. vol. 17. 1890. p. 675 adn. 6.

[4]) cf. Schanz, Röm. Lit. II 2² 1901 p. 312.

[5]) De Senecae dialogis. Hermes XVII 1882 p. 370 adn. 5; De Senecae phil. libr. recens. et. emend. (Bresl. phil. Abhdlg. II 3) p. 6 adn. 1.

[6]) l. c. p. 308.

[7]) Der Dialog II p. 27 adn. 2.

[8]) l. c. p. 468.

[9]) Inst. I 7, 13.

[10]) » II 8, 23.

morum vitiorumque publicorum et descriptorem verissimum et insectatorem acerrimum,[1]) verum paene dei cultorem[2]) veritatis fonte attactum,[3]) qui saepissime summum deum merita laude prosecutus sit,[4]) qui meliora et veriora dixerit quam Plato,[5]) qui mirabili sententia[6]) et sapienter ac paene divinitus[7]) scripserit.

Sed iam singulos locos perscrutemur. Primum afferam, quid Lactantius de deo ex Seneca petiverit.

A. De deo.

Senecae verba de deo, quae apud Lactantium servantur, ostendunt deum non modo ceterorum omnium, quae sunt in mundo, causam esse sed etiam sui,[8]) qui omnium rector sit atque iudex[9]) omniaque sciat et videat[10]) et iustissimus sit,[11]) itaque animi integritate colendus sit.[12])

Ad libri I. cap. 7. finem nominibus auctoris exhortationumque allatis[13]) Lactantius, ut deum »ante omnia ex se ipso esse procreatum« ostendat, Senecae »hominis acuti« sententiam ad verbum affert, »nos aliunde pen-

[1]) Inst. V 9, 19.
[2]) » VI 24, 14.
[3]) » VI 24, 13.
[4]) » I 2, 26.
[5]) » VI 25, 1.
[6]) » VI 24, 12.
[7]) » V 22, 12.
[8]) Inst. I 7, 13; II 8,23; Lévy-Bruhl l. c. p. 15; Burgmann l. c. p. 18.
[9]) Inst. I 2, 26.
[10]) » VI 24, 12; 16, 17.
[11]) » V 22, 12.
[12]) » VI 25.
[13]) frgm. 15 (Haase, Lips. 1902).

dere, itaque ad aliquem nobis respiciendum esse, cui quod sit optimum debeamus, deum autem se ipsum fecisse, cum alia ab aliis instruantur.« Quanti hoc Senecae testimonium Lactantius aestimet, ex eo elucet, quod praeter quattuor singula verba Sibyllae Apollinisque, Colophone residentis, illis philosophi verbis probationem suam, simul illam totius partis de unitate dei agentis[1]) finit.[2])

Non minoris aestimatur Seneca in libro II 8, 23, ubi etiam Ciceroni, quem summum auctorem Lactantius sibi elegit, praeponitur. Ut enim Lactantius Ciceronis sententiam de rerum origine reiciat, ei Senecae »omnium Stoicorum acutissimi« verba obtendit, qui viderit nihil aliud esse naturam quam deum ipsum, qui ea de causa sibi virtutem, quae ei naturalis sit, dederit. Sane quidem etiam hanc opinionem non rectam esse iudicat Lactantius, sed acutiorem, quod iam voce »melius« »Ciceronis respectu orta«[3]) significatur. Illa philosophi verba ea de causa magni aestimanda sunt, quod accuratissime exprimitur virtutem divinam fructum voluntatis cuiusdam et in libertate positam esse. (cf. sibi illam dedit.) Simul autem haec libertas naturalis est. Et in verbis »deus ipse natura est« non arbitrari licet Senecam ad finem de deo a sensibus seiuncto cogitasse, quod »natura non nesciens est quid faciat« (Qu. Nat. I. praef. 15); sed ita illa verba percipienda sunt ut de benef. IV 7, 1: »quid aliud est natura quam deus et divina

[1]) quae est a cap. 3. usque ad cap. 7. finem.
[2]) cf. ad interpretat. huius loci dialog. de prov. I 3; ep. 16, 5; 31, 10; 65, 12; 95, 50; 95,36.
[3]) cf. Buenemanni Lact. edit. p. 223, adn. h.

ratio toti mundo partibusque eius inserta.«[1]) Ex quo Senecae opere illum locum hauserit, Lactantius non profitetur. Sed quod morali philosophiae optime accommodatus est et scriptor omnino in libro II. illud scriptum solum commemorat, re vera haec verba libris moralis philosophiae addicere possumus.[2]) Interrogationis figura illis libris formam dialogi fuisse ostendere videtur. Elucet ex horum verborum argumento Senecam in libris moralibus antea de hominum virtute disputasse, quos eam discere necesse est, tum de deo, cui naturalis est. Lactantius igitur, cuius tantum interest deum naturam esse statuere, sua ratione haec Senecae adhibuit.

Hunc autem deum »iudicem esse atque rectorem orbis terrarum caelique et deorum omnium, qui omnia pulcherrime instituerit et numina, quae singula adoremus, suspenderit«, cognoscimus ex libro I 4, 26, ubi Lactantius nomen auctoris eiusque libri de immatura morte[3]) appellat. Apparet Senecae maximi momenti fuisse deum iudicem proponere, qui vitam hominis in potestate habeat.[4])

Ad quem locum supplendum Senecae verba ex exhortationibus nomine operis allato adiungit explicans deum, »cum prima fundamenta molis pulcherrimae iecerit et hoc orsum sit, quo neque maius neque melius quicquam natura noverit, ut omnia sub ducibus suis eant, tamen ministros regni sui genuisse, quamvis ipse per totum corpus se intenderit.« Iterum ei succurrunt

[1]) cf. Baumgarten, l. c. p. 55.
[2]) frgm. 122 (Haase).
[3]) frgm. 26 H.
[4]) cf. Burgmann, l. c. p. 24.

verba deum ministros sibi creavisse in eiusdem libri cap. 7, et ea interpretatione digna habet, ut Hortensii dicta, quae beata solitudo esse possit, si unus deus sit, repudiet.

Tria in his Senecae sententiis animadvertuntur: primum »deum deorum omnium« esse, quae appellatio non apud scriptores antiquos nisi christianos reperiri potest, deinde hunc deum rectorem et iudicem esse, denique ceteros deos adeo ex illo pendere, ut futuri non sint nisi ex eius voluntate.[1]) Ita non mirum est Lactantium haec philosophi verba recepisse illumque ex Romanis vel acerrimum Stoicum nominasse, qui saepe summum deum merita laude prosecutus sit. Illis Senecae verbis Lactantius philosophorum sententias de dei maiestate finit. Sed cum aliorum auctorum quos attulit opiniones cito relinquat, praecipue Senecam laudat addens: »Et quam multa alia de deo nostris similia locutus est; quae nunc differo, quod aliis locis opportuniora sunt.« Etiam sequentia Lactantii verba, quae de philosophorum sententiis in universum agunt: »nunc satis est demonstrare summo ingenio viros attigisse veritatem ac paene tenuisse, nisi eos retrorsus infucata pravis opinionibus consuetudo rapuisset« praecipue ad Senecam pertinere videntur, quod in Inst. VI 24, 13 s de illo ipso eadem vel similia eloquitur.

Ad deum pertinent etiam illi Institutionum loci ex exhortationum libro primo et fine, id quod Lactantius ipse profitetur, petiti, qui de conscientia, »oculis dei pervia«, agunt, ut Lactantius dicta sua deo nihil abscon-

[1]) cf. Lévy-Bruhl, l. c. p. 12.

ditum esse posse confirmet.[1]) Primum postquam philosophum laudavit, quod librum suum »mirabili sententia« finiverit, illius opinionem explicat »nihil maius cogitari posse numine, cui vivendo operam demus, cui nos adprobemus, quod deo pateamus neque prosit inclusam esse conscientiam.«

Deus igitur, qui sui causa est, mundum hominesque creavit, omnia scit et videt.[2]) In huius autem sententiae interpretatione Senecam Lactantius ad caelum tollit dicens eum verae religionis ignarum tamen christiana elocutum fonte veritatis attactum esse. Quin etiam eo procedit, ut existimet fore ut Seneca verus dei cultor factus esset, nisi magistrum suum Sotionem habuisset et Zenonem Stoicum aestimasset. Ita eius verba hoc loco etiam usurpat, ut falsas Epicureorum sententias vitam supervacaneam esse repudiet. Nominat verba »huic nos adprobemus« orationem caelestem, sed inprimis copiose illud Senecae »nihil prodest inclusam esse conscientiam, patemus deo« interpretatur.[3]) Adeo autem Lactantius locis philosophi citandis delectatur, ut quasi ad praecedentium verborum interpretationem alia eius verba illis simillima interrogationis figura[4]) ad verbum adiungat quoquoversus custodem hominem sequi in actis et machinationibus, qui ubique haereat, ut demens solus arbitrari possit se oculos

[1]) Inst. VI 24, 12 (frgm. 24); ibid. 16, 17 (frgm. 14).
[2]) cf. Baumgarten l. c. p. 54; Burgmann p. 19.
[3]) cf. Fickert, Seneca de natura deorum. Breslau 1857 p.13 adn.
[4]) cf. Rossbach, De Senecae dialogis p. 370 adn. 5, qui ad hunc locum dicit: »erat cum argumentum dialogi formae aptissimum, tum in verbis ab illo servatis adversarium vel eum (Lucilium), ad quem miserat, alloqui videtur: quid agis? . . .«

omnium effugisse, cum nemini prosit »non habere conscium habenti conscientiam.« Ex his igitur fragmentis apparet Senecam in exhortationibus initio tantum de conscientia quasi hominis custode disputasse, qui dicat, utrum bene an male agatur, deum non commemorantem, sed ad illarum finem iam tantopere in sua argumentatione progressum esse, ut sententiam suam planius exprimat nos, quamquam conscientia inclusa sit, deo patere.

Inst. V 22, 12 Lactantius dei iustitiam praedicat. Postulat ecclesiae scriptor, ut homines, qua de causa nonnumquam boni castigentur, sed mali delectentur, Senecae dialogum de providentia spectent, ubi »sapienter ac paene divinitus« ille elocutus sit, deum homines pro liberis habere, sed malos luxuriose vivere pati, quod non sua emendatione eos dignos esse putet, bonos autem castigare saepius et adsidius laboribus ad usum virtutis exercere neque eos caducis et mortalibus bonis corrumpi ac depravari sinere. Et Senecae testimonium magni aestimat pergens: »unde nemini mirum debet videri, si pro nostris saepe delictis castigamur a deo«. Similia Lactantius multis aliis operum locis eloquitur.[1]) Quaeritur verbane allata re vera ad verbum ex dialogo de providentia petita sint. Comparemus singulos locos, qui Lactantii verbis materia sensuque simillimi in illo dialogo inveniuntur.

Lact.: deus homines pro liberis habet.	Prov. II 5: Patrium deus habet adversus bonos viros animum.

[1]) cf. Inst. III 29, 13—20; V 7, 3—10; VI 3, 4; 15, 5 – 9; 22, 2 s; VII 5, 7; epit. 24, 10.

Lact: sed corruptos et vitiosos luxuriose ac delicate patitur vivere, quia non putat emendatione sua dignos.	Prov. I 6: cum videris... malos lascivire et voluptatibus fluere ... bonum in deliciis (cf. delicate) non habet.
bonos autem, quos diligit, castigat saepius et adsiduis laboribus ad usum virtutis exercet.	II 5: illos fortiter amat et operibus, doloribus, damnis exagitentur, ut verum colligant robur.
nec eos caducis ac mortalibus bonis conrumpi ac depravari sinit.	IV 10:... quam infinitis atque immodicis bonis rumpi.

Iudicare igitur dialogi verba quae reperiuntur a Lactantio sua ratione i. e. ad imitationem generis scribendi Ciceroniani mutata esse hoc loco quodam iure licet. Nam scriptor ita habet: »si quis autem volet scire plenius cur malos ... deus .. beatos .. fieri sinit, pios contra .. miseros .. esse patiatur, sumat eum Senecae librum ..., in quo multa non plane imperitia ... elocutus est«. Unde facile intelligi potest Lactantium non modo unicum locum spectasse, sed totius dialogi argumentum. Sane quidem singula verba, quae Lactantius adhibet, etiam in philosophi scriptis legimus. Sed coniunctiones »corrupti et vitiosi«,[1]) »caducum ac mortale«,[2]) »conrumpi ac depravari«[3]) potius Lactantio ut Ciceroniano favent, quod in Senecae scriptis ita vix inveniuntur. Ut Lactantii dicta in dialogi parte deperdita, id quod Brandtius[4]) vult, ponamus, fieri non

[1]) cf. Cic. Brut. 26, 1.
[2]) de legg. I 61.
[3]) de off. 2, 71.
[4]) cf. adnot. ad hunc locum.

potest, quod pro certo habendum est, dialogum perfectum nobis tradi. Nam dispositionem, quam Seneca sibi proposuit, exhaustam esse iam Schanzius[1]) ostendit. Etiam librarius dialogum ad finem esse perductum putat, id quod subscriptio testatur[2]): »L. A. Seneçe ad luciliũ. Quare aliqua incommoda bonis viris accidant, cum providentia sit. explicit. Incipit Ad Serenũ. Nec iniuriam nec c̃tumeliã accipere sapientem«. Itaque verisimillimum est Lactantii verba dialogi argumentum esse.[3])

Denique Lactantius de dei cultu ac veneratione disputans Senecam laudat. In libro VI 25 dicit deum non ebure et pictis et textis pretiosis colendum esse, et Platonis verba reiciens illa aperte ex libris moralis philosophiae[4]) affert, quae »meliora et veriora« sint quam Graeci philosophi. Seneca enim exponit deum »magnum et placidum et maiestate leni verendum« et amicum nostrum esse, itaque non immolationibus nec sanguine esse colendum sed mente pura, bono honestoque proposito, in pectore consecrandum non in templis, quae »congestis in altitudinem saxis«[5]) exstruantur. Ita Seneca, philosophus paganus, prorsus christiana eloquitur ut Iohannes in evangelio (IV 24): »πνεῦμα ὁ θεός. καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν«.[6]) Hic igitur locus Lactantio in argumentationis progressione gravissimus est testis,

[1]) l. c. p. 290.
[2]) cf. Dial. ed. Hermes. Lips. 1905. p. 20.
[3]) cf. Baumgarten, l. c. p. 58.
[4]) frgm. 123.
[5]) cf. dial. de cons. ad Marc. 17, 4.
[6]) cf. Fickert, l. c. p. 20.

quomodo christiana ratione dominus caeli terraeque ab hominibus coli debeat praecipue »integritate animi«.

Sed iam videamus, quomodo Seneca in Lactantii Inst. contra paganorum fidem se habeat.

B. De veterum fide.

Non mirum est, quod Seneca secundum sententiam: »Religio deos colit, superstitio violat«, (De clem. II 5,1) de paganorum dis et cultu inique iudicat, in qua re Lactantius eum ter sequitur.

Eius verbis ex libris moralis philosophiae quos appellat ad verbum petitis[1]) Lactantius paganorum stultitiam castigat[2]), qui deorum simulacra venerentur atque genu posito adorent per totum diem et stipem iaciant et victimas caedant, sed fabros, qui illa fecerint, contemnant.

Haec verba gravissimum indoleque medium totius cap. 2. conformant et in iis praecedentes et succedentes Lactantii considerationes consistunt.

Quibuscum philosophi verba brevi post commemorata cohaerere videntur. In cap. 4. enim Lactantius, ut Persii poetae sententiam quandam reiciat, de simulacris et »effigiebus« deorum a Polycleto, Euphranore, Phidia ex auro et ebore perfectis quasi grandibus pupis agit, illosque viros reprehendit, quod barbati (virginum lusibus venia dari possit) tamen haec consecrent. Tum Lactantius Senecae verba affert, quibus »senum« stultitiam derideri dicit, »nos non bis pueros esse sed semper; verum hoc interesse, quod maiora ludamus«.

[1]) Inst. II 2, 14 (frgm. 120).
[2]) cf. Baumgarten, l. c. p. 226.

Deinde explicatur, quomodo dei ab hominibus opinione falsa colantur.

Quaeritur, num hi tres loci cohaereant omnesque Senecae attribuendi sint. Pichonius[1]) Brandtium[2]) secutus verba Senecae a Lactantio ipso addicta communem considerationem de genere humano esse itaque sola philosophi esse videri dicit. Hilgenfeldus[3]) et Baumgarten[4]) praecedentia etiam verba Senecae esse coniciunt. Sed primum videamus verba: »nos non bis pueri sumus sed semper; verum interest, quod maiora ludamus«. His verbis Senecam exprimere velle apertum est non modo pueros senesque liberos esse ac ludere, (cf. »bis«) sed etiam viros semper et ubique; (cf. »barbati homines« in praecedenti paragrapho). Non igitur senes hoc loco deridentur, ut Lactantius vult, sed barbati homines. Sane quidem aliis locis philosophus, ubi de puerorum atque senum coniunctionibus disputat[5]), hanc rem vix deridere videtur. Sed ibi re vera considerationes communes sunt. Cum autem Lactantius hoc loco »deridet« dicat, satis elucere puto hoc ad certam aliquam rem pertinere necesse esse. Ita pro certo haberi potest etiam praecedentia verba de statuariis ipsis facta ex Senecae libris cum illis ad verbum citatis cohaerentia paululum fortasse mutata a Lactantio allata esse; nam esse aliquid oportet, quod Seneca contrarium (»non bis, sed semper«) tam plane expresserit. Cum

[1]) l. c. p. 233 adn. 7.
[2]) Lact. edit. p. 110.
[3]) l. c. p. 675.
[4]) l. c. p. 52.
[5]) cf. ut exempl. aff: tranqu. an. 3, 8; ep. 115, 8; dialog. const. sap. XII 1 s.

idem in quadam epistula[1]) dicat: »quid ergo inter nos et illos interest, nisi quod nos circa tabulas et statuas insanimus?«, id sententiam nostram confirmat. Ac philosophum omnino de statuariis inique iudicare maxime elucet ex illo epistularum loco[2]), ubi hanc artem ne in artibus liberalibus quidem enumerat. Quamquam Lactantius operis Senecae nomen non affert, tamen apertum fit ex libris moralis philosophiae id ortum esse. Nam verba Inst. VI 25 de dei cultu ac veneratione item ex illo opere sumpta sunt. Et haec Lactantii maximi momenti fuisse de dei falsa veneratione agere etiam sequens paragraphus ostendit, ubi id copiosius tractatur. Haec verba quodammodo sensui Senecae accommodata esse nemo negabit. Sed non confirmare ausim ea re vera ex libris moralibus orta esse.

Hac re Norden[3]) adductus est, ut quendam Inst. VI 20 locum Senecae esse arbitretur; Lactantius enim ibi dicit »multo dignius esse homine caelum potius quam caelata intueri et hoc pulcherrimum opus intermicantibus astrorum luminibus tamquam floribus adornatum quam picta et ficta et gemmis distincta mirari«. Maxime Norden sequente »exhortati sunt« commotus est, ut hunc locum Senecae exhortationibus, non Ciceronis Hortensio attribueret[4]). Haec verba non Lactantii esse ex lusu verborum »caelum quam caelata« Norden iure conclusit. Sed non vidit Ciceronem hoc lusu iam in orationibus in Verrem (II 12,9) usum

1) 115,8.
2) ep. 88, 18.
3) in annal. philol. Suppl. vol. XIX p. 420, adn. 1.
4) cf. frgm. 43 Hort: caeli signorum ad mirabilem ordinem insatiabilemque pulchritudinem magis spectat.

esse[1]). Hic tamen Cicero, non ut Lactantius, rem ad philosophiam traxit, neque quicquam impedit, quominus Senecam quoque illo verborum lusu usum esse existimemus, quare non est, cur Nordeni coniecturam improbemus.

Quomodo Seneca contra paganos se habeat, intellegimus etiam ex Inst. I 16, ubi Lactantius, ut illorum opiniones de deorum sexu atque liberis derideat eosque ab hac prava opinione deterreat, philosophi pagani »non inlepide« dicentis verba nomine librorum moralis philosophiae allato denuo interrogationis figura affert de Iove, qui ob eam causam liberos sustulerit, quod ius trium liberorum impetraverit aut sexegenarius lege Papia abductus sit aut timuerit, »ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno«.

Praeterea fortasse conici potest etiam verba illis satiricis praecedentia Lactantii, quae de poetarum fabulis haec prava narrantibus agunt, et totam Lactantii argumentationem ex Senecae libris moralis philosophiae fluxisse.

Alia enim philosophi verba nobis hodie servata hanc sententiam mihi verisimiliorem facere videntur[2]). Seneca his verbis eadem persecutus esse videtur atque Lactantius.

1) »Novus astrologus, qui non tam caeli rationem, quam caelati argenti, duceret.
2) Vit. beat. XXVI 6: Sic vestras hallucinationes fero quemadmodum Iuppiter optimus maximus ineptias poetarum, quorum alius illi alas imposuit, alius cornua, alius adulterum illum induxit et abnoctantem, alius saevum in deos, alius iniquum in homines, alius raptorem ingenuorum corruptorem et cognatorum quidem, alius parricidam et regni alieni paternique expugnatorem e. q. s.
Brev. vit. XVI 5: Inde etiam poetarum furor fabulis humanos errores alentium, quibus visus est Iuppiter voluptate concubitus delenitus dupplicasse noctem e. q. s.

Quid vox »ergo« significare potest aliud nisi argumentationem aut explicationem elocutionis (paragr. 9): »cum vero dicantur aliqui ex aliquibus nati, consequens est, ut semper nascantur, siquidem aliquando sunt nati, vel si nasci desierunt, scire nos convenit, cur aut quando desierint«, quacum praecedentes considerationes angustissime cohaerent.

C. De virtute.

Duo Institutionum loci, qui de exercitatione et mercede virtutis agunt, eodem modo ex Senecae scriptis orti sunt.

Lactantius, postquam explicavit animam virtutis assequendae causa cupiditates vincere necesse esse, ut vitam sempiternam expetat, illam prorsus christianam sententiam ex Seneca petivit[1]) »virtutem unam rem esse, quae nos immortalitate donare possit et pares diis facere.« De qua opinione etiam in epitoma copiose disserit.[2]) His igitur verbis, quae Seneca imprudens, ut Lactantius ait, invenerit, ecclesiae scriptor utitur, ut sententiam suam confirmet et Seneca ei gravis testis sit in suae argumentationis continuatione.

Pergit autem Lactantius: »sed et Stoici, quos secutus est, negant sine virtute effici posse quemquam beatum; ergo virtutis praemium beata vita est, si virtus, ut recte dictum est, beatam vitam facit; non est igitur ut aiunt propter se ipsam virtus expetenda . . . .« Proximum esse puto existimare haec etiam ex Senecae libris in Lactantii opus fluxisse, quod Senecae nomen paulo supra indicatur, praesertim cum in operibus

---

1) cf. Inst. III 12, 11.
2) cf. cap. 30, 1 s; 59, 1.

philosophi nobis servatis locos sensu simillimos[1]) inveniamus. Ex huius fragmenti exordio: »laudans enim virtutem in eo libro, quem de immatura morte[2]) conscripsit,« cognoscimus philosophum in hoc libro virtutem maxime condemnasse, quae sola perficiat, ne mors etiam immatura terrorem incutiat.

Virtutem autem exerceri necesse est, quod semel iam Lactantius ex dialogo de providentia attulit. (cf. Inst. V 22, 12: ad usum virtutis exercet.) Inst. III 29, 16 ecclesiae scriptor exprimit virtutem, siquidem malorum fortis atque invicta patientia esse debeat, non perfectam esse posse, »nisi agitetur, nisi vexatione adsidua roboretur, si adversarius desit.«[3]) Lactantius haec adiungit, quod de fortunae varietate loquitur et hominum opinionem tollere vult deum iniustum esse. Etiam hoc igitur loco simul eodem modo atque Inst. V 22[4]) dei iustitiam praedicat. Lactantium hoc loco, quamquam fontem non indicat, ad dialogum de providentia se applicasse verisimile fit ex similitudine verborum et materiae, praesertim cum hunc librum scilicet initio corporis Mediolanensis dialogorum positum et ipsa inscriptione hominem christianum allicientem Lactantium accuratissime cognovisse et adhibuisse

---

1) cf. dial. de vit. beat. 16, 3: virtus ad beate vivendum sufficit; ibid 9, 4: interrogas, quid petam ex virtute? ipsam; nihil enim habet melius, ipsa pretium sui.
2) frgm. 27.
3) cf. etiam Inst. VI 15, 7: »ubi ergo vitia non sunt, ne virtuti quidem locus est, sicut ne victoriae quidem, ubi adversarius nullus est; Inst. V 7, 4: virtutem non esse perfectam, nisi exerceatur adversis; Inst. V 7, 8 s.
4) cf. diss. p. 61 s.

paulo supra statuerimus.[1]) Sane quidem Seneca illo loco, qui nobis respiciendus est, non de virtute animi agit, quod Lactantius vult, sed corporis. Elucet autem ecclesiae scriptorem pariter ac philosophum de imaginibus ab athletis vel arbore[2]) sumptis cogitasse.

D. De hominum quibusdam vitiis.

Primum comparemus hos locos:

Inst. III 11, 6: non est igitur summum bonum, sed ne bonum quidem voluptas.	Sen. de vit. beata X 3: tu illam [voluptatem] summum bonum putas, ego nec bonum.

Duobus locis de voluptate contemnenda disputatur, et uterque scriptor eisdem fere verbis utitur. Itaque prorsus apertum est Lactantium ex Seneca pendere; »ne — quidem« Lactantius ad imitationem Ciceronis scripsit pro Annaeano »nec«.

Tum Lactantius nonnulla de irae natura et vi Senecae debet. In libro de ira dei Lactantius, ut ostendat, quomodo ira animalium ab illa dei discrepet, ex Senecae dialogo de ira auctoris et libri nominibus allatis definitiones argumenti irae varias affert.[3])

Primum dicit iram esse cupiditatem ulciscendi aut Posidonii verbis puniendi eius, a quo aliquis inique laesus sit, tum eam esse incitationem animi ad nocendum ei qui aut nocuerit aut nocere voluerit, ut

---

[1]) cf. diss. p. 61 s.

[2]) Prov. II 3: »Athletas videmus, quibus virium cura est . . caedi se vexarique (cf. vexatione) patiuntur . . . Marcet sine adversario virtus;« Prov. IV 16 »quae vexatione constringatur et radices certius figat.«

[3]) cf. librum de ira dei 17, 13.

quidam definiverint. Quaeritur, num haec ad verbum ex Seneca fluxerint. Gertzius[1]) primus in lacuna, quae in dialogo de ira post libri I. caput 2, 3 extat, ea posuit. Iure eum id fecisse apertum est, quod in eodem dialogo paulo post lacunam Seneca illas sententias interpretatur.[2]) Gertzio autem putanti »fieri potuisse, ut ultima verba apud Senecam ipsum a prioribus intervallo diiuncta fuerint, ita ut duo fragmenta a diversis locis petita habeamus«, non consentire licet, quod duo loci in proximo capite demum alius post alium accurate exponuntur. Alioquin primum locum antea interpretari Senecam necesse erat.[2])

Verisimillimum est Lactantium ad verbum hausisse.[3]) Nam commemorat Posidonii nomen, quod philosophus in illius definitionis interpretatione non appellat, ac

---

[1]) cf. ed. dial. p. 53, 5 adn. Hauniae 1886.

[2]) Persequamur singula:

a) Lactantius: Ira est cupiditas ulciscendae iniuriae aut ut ait Posidonius cupiditas puniendi eius, a quo te inique putes laesum.	Sen. interpret. I 3, 1: Irascimur saepe non illis, qui laeserunt, sed iis qui laesuri sunt: ut scias iram non ex iniuria nasci. I 3, 2: Ut scias non esse iram poenae cupiditatem, infirmissimae saepe potentissimis irascuntur. II 3, 2 . . . cupiditatem esse poenae exigendae. II 3, 4: putavit se aliquis laesum, voluit ulcisci. II 3, 5: ira est concitatio animi ad ultionem.
b) Quidam ita definierunt: ira est incitatio animi ad nocendum ei, qui aut nocuit aut nocere voluit.	Sen. I 3, 2: nemo tam humilis est qui poenam vel summi hominis sperare non possit: ad nocendum potentes sumus.

[3]) Id etiam Gertzius l. c. opinatur.

maxime id ostendit Aristotelis definitio in dialogo nobis servata, quam Lactantius illis duabus adiungit, »iram esse cupiditatem doloris reponendi«,[1]) praesertim cum in huius loci exordio etiam Senecae verba illam definitionem »non multum a nostra abesse« recipiantur.

In eiusdem libri capite 17, 5 Lactantius statuere vult »in peccatis cohibitionem irae vitiosam esse«, et Platonis sententiam »neminem prudentem punire, quia peccatum sit, sed ne peccetur«, reicit. Plato haec verba in opere suo »*Νόμοι*« quod inscribitur eloquitur.[2]) Sed quod in Senecae dialogo de ira[3]) eadem illorum verborum translatio atque apud Lactantium invenitur, apparet eum non Platonem, sed Senecam adhibuisse.

Praeterea in illo Lactantii libro tres loci inveniuntur de irae exitu, qui sensu quidem ad philosophum se applicare videntur. Ita in cap. 5. scriptor exprimit, quantam vim ira habeat ad singulos homines, ad terras gentesque, ut demonstret hanc iram non deum decere. Legimus ibi, cum ira in animum hominum incidat, »velut saeva tempestas tantos excitet fluctus, statum mentis immutari, oculos ardescere, os tremere, linguam titubare, dentes concrepare, alternis vultum maculari nunc suffuso rubore nunc albescenti pallore«; tum

---

[1]) Non putari potest Lactantium pro »reponendi« vocem »rependendi« scripsisse, quod Buenemannn vult. Nam haec vox »rependo« unico loco, etiam ibi non sine dubio in Lactantii operibus legitur (cf. Op. dei III 5). Etiam Brandtius cum codice B[1] vocem »reponendi« vult simul cum Senecae codice Ambros.

[2]) XI 934 A.

[3]) I 19.

adiungit illum adfectum sanguinem fundere, urbes subvertere, populos delere, provincias ad solitudinem redigere. Cum autem verba ipsa Lactantii et Senecae minime consentiant, (praeter haec: Lact. »provincias ad solitudinem redigit«, et Sen. »adspice solitudines ... desertas«,) certum son statuo, etiamsi idem ordo duarum partium atque in dialogo et eadem angusta coniunctio et enumeratio singulorum irae effectuum id verisimile faciunt Lactantium fortasse illius dialogi verba, quae bene eum cognovisse iam vidimus, memoria tenuisse.[1])

Eodem modo verba capitis 7, 7 se habent, ubi Lactantius hominis et animalium adfectus comparat disserens praeter religionem cetera quae videantur esse homini propria, etsi non sint talia in mutis, tamen similia videri posse, ita sermonem vocesque, risum, rationem, providentiam, intellegentiam, cogitationem.

Seneca[2]) iram solam hominis et animalium comparat, id quod Lactantius non facit, sed etiam de aliis adfectibus vel propriis philosophus loquitur. Ea autem re scriptores discrepant, quod Seneca explicat prudentiam, providentiam, diligentiam, cogitationem nulli nisi homini concessa esse item ac vocem, »quae non sit explanabilis sed perturbata et verborum inefficax«; itaque illas animalium proprietates pro nihilo habet, cum Lactantius eas humanis similes quidem esse putet et ex illorum singulari natura declaret. Unus consensus sane inveniri posse videtur:

---

[1]) Lact. de ira dei cap. 5, 3; 4; Sen. dial. cap. I et II 1, 2.

[2]) cf. dial. de ira I 3, 6.

Lact. (7) nam cetera quae videntur homini propria, etsi non sunt talia in mutis, tamen similia videri possunt.

Sen. (6) Muta animalia humanis adfectibus carent, habent autem similes illis quosdam impulsus. (8) metus autem sollicitudinesque et tristitia et ira non sunt, sed his quaedam similia.

E. De morte ac malis contemnendis.

Inst. V 13 Lactantius opiniones hominum discrepantes acerrime vituperat, qui, quamquam philosophi inter eos viventes constantiam ad contemnendam mortem necessariam esse disputent, tamen christianos, qui mortem pro fide sua obeant, stultos esse nominent. Atque illis hominibus christianorum defendendorum causa gravia verba philosophi monstrat, qui illis »incongruentiam« obiectaverit, cum dixerit summae perversitatis esse, cum homines, etiamsi summam virtutem esse magnum animum[1]) putent, tamen eum, qui mortem contemnat, furiosum habeant.[2]) Respicienda est in hoc fragmento verborum collocatio Senecae dignissima sententiae initio »summa virtus,« ad finem »summa perversitas.« Cellarius, quem Buenemannn sequitur,[3]) hunc locum libro »de remediis fortuitorum« attribuit provocans ad Tertullianum, qui in Apologetico[4]) ita habet: »Multi apud vos tolerantiam doloris et mortis

[1]) cf. dial. const. sap. XI 1: »pulcherrimam virtutem omnium, magnanimitatem.«
[2]) frgm. 29.
[3]) cf. Ed. Lactantii p. 640, adn. b.
[4]) cap. 50.

hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis ...« Sed haec verba nullius momenti sunt, quod primum Lactantius numquam illum librum indicat, deinde quod Seneca apud Lactantium solis de mortem neque dolorem contemnentibus agit, tum quod Seneca hanc sententiam saepissime in operibus suis exsequitur. Ita etiam spectemus, ut exemplum afferam, locum Inst. VI 17, 28 ex libris moralis philosophiae sumptum, ubi eodem modo de morte contemnenda disputatur. Qua re commoveri possumus, ut illa verba omnino illis libris addicamus, quos multo magis Lactantius adhibet quam librum de immatura morte, in cuius fragmenta Haasius[1]) ea recepit. Sed putari potest verba in dialogo de consolatione ad Marciam de immatura morte facta[2]) nonnulla repetisse, quae etiam in libro de immatura morte extiterunt. Itaque existimo verba, quibus Seneca in ignaros mortis felicitatis acerbe invehitur,[3]) ab illis Institutionum non aliena esse. Optimum igitur est neque tamen certum illud fragmentum libro de immatura morte addicere, cui accommodatissimum est. Ceterum hic locus, qui simul de summa virtute agit, ab verbis antea memoratis virtutem nos immortalitate donare apud Senecam non longe distetisse videtur.

Alii loci ex hoc Senecae libro sumpti in Lactantii libro de opificio dei (4) extare videntur. Id iam Brandtius[4]) coniecit, quod in illo capite Lactantius

[1]) frag. 29.
[2]) cf. cap. 21. exordium: »Nimis tamen cito periit et immaturus«.
[3]) cf. cap. 20, 1.
[4]) l. c. p. 291.

quinquies vocem »immaturus« adhibeat et ei Senecae librum notum fuisse ex Inst. constet. Id firmius mihi fieri videtur denuo ex dialogi de consolatione verbis, quae sensu quidem ex parte cum illis consentiunt. Haec componere mihi liceat:

Lact. opif. 4, 11: nec ulla immortalitas est, cui sit terminus constitutus.	Sen. 21, 5: Fixus est cuique terminus.
ibid: nemo nisi senex mori debet.	Sen. 21, 7: In hoc errore versamur, ut non putemus ad mortem nisi senes inclinatosque iam vergere, cum illo infantia statim et iuventa, omnis aetas ferat.
Lact. 4, 3: immatura vero mors quomodo abesset ab eo, cui esset constituta matura? 4, 8: stultissimi ergo, qui de morte immatura querantur, quoniam naturae condicio locum illi facit.	Sen. 21, 2: cum ad omne tempus dimiseris animum, nulla erit illa brevissimi longissimique aevi differentia, si inspecto quanto quis vixerit spatio, comparaveris quanto non vixerit.

Non negari potest Senecam, si sententias spectamus, eadem dicere atque Lactantium. Itaque fieri potest, ut revera libri de op. dei verba ex Senecae libro de immatura morte pendeant.

Adiungo quoddam Senecae librorum moralium quorum nomen affertur, fragmentum[1]) in Inst. VI 17, 28 a Lactantio receptum, quod hominis honesti proprietates

[1]) frgm. 124.

laudat, ubi etiam, ut supra iam dixi, de morte contemnenda disputatur.

F. De hominibus.

Ecclesiae scriptor postquam postulavit, ne quicquam omnino neque terror neque vis a deo avertat, praeter nuum Ciceronis brevem locum verba Senecae magnifica et rhetorice colorata affert, quibus honestus homo describitur, qui »non apice purpurave« ornatus sit »non lictorum insignis ministerio«, sed qui neque tormenta cruciatusque ac ne mortem quidem timeat. Apparet hunc locum Senecae ea de causa inprimis a Lactantio receptum esse, quod et in persecutionibus, quas illo tempore vehementissimas fuisse paulo supra elocutus est (paragr. 6), christianorum animum confirmare et paganos a persecutionibus deterrere voluit iis ostendens philosophum et ipsum paganum verbis suis ut ita dicam illorum constantiam comprobare.

Praeterea de Seneca verba brevi ante illud fragmentum recordari videntur. Is enim (paragr. 21 s) illorum hominum stultitiam repudiat, qui »animum quietum tranquillumque reddere« volunt (cf. dial. de ira III 6, 1: »eodem modo sublimis animus, quietus semper et statione tranquilla conlocatus«); sed id non fieri posse, quia »vis et ratio eius in motu est« (cf. Ep. 39,3: »ita animus noster in motu est).

Num etiam Lactantii verba de homini sociali animali facta[1]) ex Seneca pendeant, quod Fauthius[2]) vult, statui non potest, quod cetera verba minime consentiunt.

[1]) Inst. VI 10, 10; Sen. de benef. VII 7.

[2]) De Lactantii dicto: hominem esse sociale animal. Heidelberg 1800. p. 5.

G. De philosophia eiusque magistris.

Etiam Senecae iudicia de philosophia eiusque magistris Lactantius recipit partim acerbissime in ea invehens partim ea laudans. Cum enim in Institutionibus moliatur, ut philosophiam paganorum abiciendam esse demonstret, varia argumenta ex illorum scriptis affert, praecipue ex Ciceronis Hortensio et Senecae exhortationibus, ubi philosophiae adversarii prodeunt.

Contra falsam sapientiam praeter Hortensii et Lucretii sententiam etiam illam Senecae Inst. III 16, 15[1]) affert, qui dixerit, »non esse mille annos, ex quo initia sapientiae mota sint.« Haec verba ex exhortationibus fluxisse apertum fit ex comparatione cum Ciceronis Hortensio, quae scripta in explicationibus valde congruebant, ut Senecam Ciceronis vestigia persecutum esse recte statui possit, quod Dielsius[2]) et Hartlichius[3]) et Norden[4]) illustraverunt.

Haec ad Inst. III 25 ferunt. Ibi enim Lactantius statuere suscipit veram philosophiam »verum ac divinum lumen« solam doctrinam caelestem esse omnibus hominibus patentem non illam paganorum«, quod eam non nisi docti viri assequi possunt.« Tum Lactantius exponit, qua de causa Cicero philosophiam non vulgarem esse arbitretur, quod enim multis artibus opus sit, ut ad eam accedi possit. Denique, ut sententiam suam confirmet, illos paucos homines ex mulieribus

[1]) frgm. 21.
[2]) Zu Aristot. Protrept. u. Cic. Hort. in Archiv für Geschichte der Philosophie I. (1888) p. 478 adn. 1.
[3]) l. c. p. 307.
[4]) In annal. philol. Suppl. vol. XIX. p. 420, adn. 1, ubi fragmentum 31 (Hort.) cum 19. (Exhort.) consentire dicit.

(Themisten), servis (Phaedonem, Platonem, Diogenem), barbaris (Anacharsin), qui in philosophia occupati fuerint, enumerat. Hartlichius[1]) putat haec ex exhortationibus compilata esse Usenerum[2]) secutus: (4) »quid est . . . conflari«; (7) »Senserunt . . . invitat«; (8) »Conati . . . accedi«; (12) »ob eam causam . . . philosophiam«; (14) »In rebus igitur . . . didicisset.«

Sed hoc caput diligentius perscrutemur: Primum statuendum est dicendi genus prorsus Ciceronianum esse.[3])

Tum conferamus ad hoc Lactantii verba paragr. 12: »ob eam causam Tullius ait abhorrere a multitudine philosophiam,« postquam Lactantius argumenta attulit.[4]) Cicero igitur in aliquo opere fortasse Hortensio sententiam suam explicasse videtur, qua de causa philosophia non vulgaris sit. Quomodo autem se habent verba paragraphi 4—6? Ibi enim opinionem eloquitur Senecae accommodatissimam philosophiam omnibus hominibus naturalem esse, afferens Stoicorum, Epicuri, Platonis iudicia. Huc accedit, quod ad huius capitis finem semel Senecae nomen nobis occurrit. Lactantius enim commemorat ex servis Platonem, quem Anniceris quidam sestertiis octo redemisse tradatur; »itaque insectatus est conviciis hunc ipsum redemptorem Seneca, quod Platonem parvo aestimaverit.« Apertum est haec Lactantii verba ita inter se cohaerere, ut ea Senecae omnia iure attribui necesse sit. Propterea

[1]) l. c. p. 307 s.
[2]) Epicurea p. 171 adn. 1.
[3]) cf. de hac re Buenemann, ed. Lact. p. 397 ss.
[4]) cf. Buenemann, ed. Lact. p. 398 adn. t.

Lactantius in Senecam invehitur et furiosum appellat et ironice comparationem de Hectore mortuo mythologicam adiungit, quam ex Plauto[1]) ortam esse Buenemann vix iure statuit.

Item illa verba de Diogene facta ex philosophi libro nata esse ex eo elucere videtur, quod Plato et Diogenes ita compositi sunt ut in epistulis:[2]) »nescis qua aetate Hecuba servire coeperit, qua Croesus, qua Darei mater, qua Plato, qua Diogenes.« Etiam Phaedonem Senecam memorasse verisimillimum est, quod eum »Socrati Platonique familiarem« omisisse non credibile est. Sin autem cum Usenero et Hartlichio putamus verba paragraphi 5. (quodsi natura hominis sapientiae capax est, oportuit et opifices et rusticos et mulieres et omnes denique . . .) revera Senecae esse, certum mihi videtur eum etiam Themisten et Anacharsin memoravisse. Gellius, qui in Noctibus Atticis[3]) etiam de servis philosophis agit, ea de causa a Lactantio discrepat, quod Platonem, philosophorum clarissimum, omittit, ceterum autem multo plures enumerat.

Hoc igitur loco Seneca omnibus hominibus philosophiam patere dicit, quae sententia Inst. III 15 redit. Ibi enim Lactantius denuo exhortationibus utitur, ut sententiam suam paganorum philosophiam abiciendam esse confirmet. Initio capitis nobis Senecae definitionem argumenti »philosophiae« ostendit et eum

---

[1]) Merc. 2. 4. 20: »Achillem orabo, aurum mihi det, Hector qui expensus fuit.«
[2]) 47, 12.
[3]) II 18.

erroris arguit, quamquam eum excusat, quod etiam Cicero, cuius sententiam huic similem antea reicit, erraverit. Senecam enim dixisse philosophiam nihil aliud esse quam rectam rationem bene honesteque vivendi, legem quandam ac regulam vitae[1]). Hac definitione statui apparet illam doctrinam omnibus esse accessu. Nam cum omnium hominum facta deo pateant,[2]) necesse est hos, ut deo placeant, bene honesteque vivere, i. e. Senecae opinione philosophari. Sed Lactantius huius philosophiae adversarius sibi non persuadere potest et varia ratione Senecae sententiam repudiare conatur tantopere procedens, ut dicat paganorum philosophiam legem abrogare, artem nullam putare, rationem subvertere, regulam depravare, scientiam funditus tollere. Atque cum non omnes homines philosophentur aut philosophari possint, sed singuli tantum, Lactantius pergit philosophos solos »bene honesteque vivere« posse, sed etiam hoc in usu non accidere, quod inter illos iracundi cupidi libidinosi inveniantur. Et ut Senecae philosophiae definitionem reiciat opinionique suae fidem faciat, exempla affert et ex Cicerone et Cornelio Nepote, quin etiam ex Seneca ipso.

Spectemus igitur Senecae iudicium de philosophis vel adversarii Senecae, de qua re tres locos ex exhortationibus, quarum nomen affert, Lactantius excerpsit.

In primo fragmento philosophorum vita moresque acerbissime castigantur. Ibi audimus videri philosophos, cum in avaritiam, libidinem, ambitionem aliorum in-

---

[1]) cf. Holzherr, die Philos. Senecas. Rastatt 1858. p. 65.
[2]) cf. diss. p. 60 ss.

vehantur, ipsos vitia sua profiteri[1]) et maledicta in publicum missa[2]) ad ipsos redundare, quosdam ne pudore quidem contineri, sed sibi patrocinium turpitudini fingere, ut etiam honeste peccare videantur. Et cum medicis eos comparat, quorum »tituli remedia, puxides venena« habeant. Cum haec verba a philosophiae adversario dicantur, sequentia laudatori attribuenda sunt. Exponitur sapientem virum, etiamsi faciat, quae non probet, tamen non mores bonos relicturum esse, sed tempori aptantem et ea, quibus alii utantur, ut gloriam et voluptatem consequantur, facientem agendae rei causa. Quomodo Seneca hanc sententiam interpretetur, ex parte elucet ex dialogo de vita beata.[3]) Illis verbis Lactantius novum locum praecedenti simillimum adiungit, ubi philosophus denuo purgatur, cum omnia non »eodem modo eodemque proposito« faciat atque luxuriosi et imperiti. Hos duos locos apud Senecam non longe distractos fuisse Lactantius exprimit verbis »deinde paulo post.« Sane quidem posteriora verba communiora sunt, sed ad eadem atque praecedentia spectant. Nam quid est aliud »nec relinquet mores bonos, sed tempori aptabit, et utetur agendae rei causa« nisi interpretatio verborum »eodem modo atque eodem proposito?«

Sequuntur verba: »atquin nihil interest, quo animo facias, quod fecisse vitiosum est, quia facta cernuntur,

---

[1]) Nam »indicium professos putes« nihil aliud significat nisi: putes, philosophos se ipsos indicasse atque prodidisse. cf. Buenem. p. 345 adn. b.

[2]) cf. dial. de ira II 9, 1: adeoque in publicum missa.

[3]) cf. 22, 1.

animus non videtur«. Buenemann,[1]) quem Haasius[2]) sequitur, haec verba Lactantii ipsius esse putat. Sed Hartlichius[3]) Senecae ea dat, quod »ea de re probabilius fiat, quia in cap. 16. Lactantius aperte argumenta afferat Hortensii«. Maxime autem sensu ex hortationum argumento indoleque defenduntur, quod philosophiae adversario optime accommodata sunt.[4]) Ad hoc conferamus haec adversarii tranquilla verba ad rem pertinentia cum illis Lactantii valde concitatis in paragr. 16: »o praeclara et bonis imitanda sapientia«, quibus Senecae philosophia deridetur. Huc accedit, quod etiam sequentia verba de Aristippo facta Senecae, et quidem philosophiae adversario, addici necesse esse videntur. Narratur enim Aristippo cum Laide, nobili scorto, consuetudinem fuisse atque illum hoc flagitium sic defendisse, ut dixerit multum inter se et ceteros Laidis amatores interesse, »quod ipse haberet Laidem, alii a Laide haberentur«.

Prior Rossbachius[5]) illud Senecae esse significavit disputans de ep. mor. I 8, 3 emendatione vocis »haeremus« in »haberemur«. Quamquam etiam Cicero[6]) idem narrat, tamen arbitrari non licet Lactantium inde sua collegisse pariter atque auctorem scholiarum Horatianarum,[7]) si singula comparamus. Atque haec

---

[1]) Ed. Lact. p. 346. adn. f.

[2]) Ed. Sen. tom. 4 (1902) praef. p. IX.

[3]) l. c. p. 306.

[4]) Eadem sententia invenitur in Ps.-Sen. lib. de moribus, sent. 3, et apud Publilium Syrum. (Ed. Woelfflin p. 91).

[5]) De Senecae phil. libr. rec. et em. Breslau 1888. p. 45 s.

[6]) cf. Ep. fam. IX 26, 2.

[7]) cf. Pseudacronis scholia in Horatium vetustiora recensuit O. Keller. Lips. 1904. (ad ep. I 17, 36.)

Aristippi mentio maxime hoc loco necessaria est ad praecedentium Senecae, qui philosophos ubique defendit, verborum interpretationem, quoniam Lactantius, quem Senecam magni aestimasse satis vidimus, non facile philosophum deridere potest, nisi legentes sciunt, quomodo is verba sua percipi vult, priusquam iis exemplum attulit. Et his dictis demum scriptor nihil aliud potest nisi voces ironicas edere. Redit ad hanc narrationem Lactantius in epitoma 34, 7.

Denique Lactantius in eiusdem libri cap. 23. Senecae locum nomine allato affert, ubi de quodam Stoico agitur, qui deliberaverit, utrum sol a populis incultus sit[1]). Haec verba satirice dicta Lactantius affert, ut in quorundam hominum et philosophorum stultitiam invehatur; quod denuo ostendit eum philosophiam paganorum despiciendam esse sibi persuasisse, cum tam ridiculae opiniones in ea extent. Quamquam Lactantius operis, ex quo hausit, nomen non appellat, tamen argumento elucere videtur ea exhortationum esse et quidem philosophiae adversarii, ab cuius latere Lactantium esse ubique vidimus.

Cum alii Senecae loci apud Lactantium non inveniri possint, iam videamus, quomodo Quintilianus a patre ecclesiae in operibus componendis adhibeatur.

III. De Quintiliano.

Multo minus quam illorum virorum opera illa Quintiliani Gelliique a Lactantio adhibentur. Quintiliani nomen in Institutionibus ter nobis occurrit. Sed illis tribus locis

[1]) fragm. 22.

non institutio oratoria commemoratur, sed singulae declamationum partes afferuntur. Has autem declamationes et maiores et minores Quintiliani non esse contra Ritterum, qui minores quidem illius esse putat,[1]) Trabandtius[2]) plaudentibus Schanzio[3]) et Krollio[4]) satis ostendit. Attamen de his locis sub Lactantii fontibus Quintilianeis agendum est, quod ecclesiae scriptor eodem modo atque alii scriptores has declamationes genuinas esse existimarunt.[5]) Fiervillius[6]) de Quintiliani memoria disputans tantum hos Institutionum locos commemorat. Sed primum haec breviter perstringamus:

A. De declamationibus.

Inst. I 21 Lactantius paganos vituperat, qui stultissime deis aut humanas hostias aut singula membra aut sanguinem immolant. Tum eis persuadere vult haec deum non postulare posse, et ad hoc confirmandum Quintiliani, qui id »optime« dixerit, verba ex »Fanatico« affert: »istud si deus cogit, iratus est«[7]). Lactantii verbis etiam declamationis auctor eodem modo de falsa dei veneratione simulque de homine nescio quo fanatico, quod inscriptione significatur, disputasse videtur.

[1]) Die quintil. Deklam. Untersuchung über Art u. Herkunft derselben. Freib. Tübg. 1881.

[2]) De minoribus quae sub nomine Quintiliani feruntur, declamationibus. Diss. Greifswald 1884.

[3]) Lit. Rom. II 2² 1901 p. 360 s.

[4]) Lit. Rom.⁶ 1910 p. 331.

[5]) ita: Treb. Pollio, Ausonius, Hieronymus. (cf. Lehnert., Quint. quae feruntur Declamat. XIX. maiores. Lips. 1905. p. 352 s.)

[6]) cf. diss. p. 5.

[7]) cf. Ritter., l. c. p. 211. Lehnert scribit (l. c. p. 353): »istud ridens cogit, iratus est«, nescio qua de causa, quod »si deus« Brandtii adnotatione traditur et argumento accommodatum est.

Tum ut ostendat virtutem pretiosam esse, quod rara sit, Lactantius ex »Capite obvoluto«, ubi »egregie ac breviter« actum sit, haec affert: »nam quae virtus esset innocentia, nisi laudem raritas dedisset? verum quia natura sic comparatum est, ut odium cupiditas ira in id quod incubuerunt agant caecos, supra hominem videtur culpa vacare; alioquin si natura pares omnibus adfectus dedisset, pietas nihil erat.« Cum Obrechtus iam in suae editionis praefatione[1]) totum hunc locum declamationi attribuat, Ritter[2]) eumque secutus Lehnert[3]) verba sola »nam — dedisset« ex declamationibus petita esse putant. Ac primo conspectu, praesertim cum verba »egregie ac breviter« in exordio extent, eis consentiendum esse videtur. Attamen pro certo haberi potest omnia Pseudoquintiliani esse. Spectemus primum Lactantii verba: »quod quidem ipsum Quintilianus egregie ac breviter ostendit in Capite obvoluto.« Verba: »quod quidem ipsum« pariter atque »ostendit« non modo ad verba a scriptore allata, sed ad totum »Caput obvolutum« pertinere videntur. Praeterea verba hunc totum locum excerptum sequentia: »hoc quam verum sit, docet necessitas ipsa rationis,« demonstrant praecedentia non Lactantii esse. (cf. Inst. I 8, 4; 17, 3 II 12, 5; V 20, 4.) Tum Lactantius voci »dedissent« particulam »verum« adiungit, quod denuo confirmare mihi videtur haec inter se cohaerere. Declamationis enim auctor dicere in animo habet: cum »culpa vacare

[1]) M. Fab. Quint. de inst. orat. libri XII ex rec. Ulrici Obrechti 1698.
[2]) l. c. p. 211.
[3]) l. c. p. 353 adn. crit.

supra hominem« esse videatur, neque de culpa ipsa neque de virtutis raritate, id quod hoc loco maximi momenti est, cogitari posse. Et ut hanc contradictionem reiciat, voce »alioquin« verba addit pietatem nihil esse, si natura omnibus pares adfectus dederit, quod rursus ad virtutis, quae tantum valet, si vitia extant, raritatem spectat.

Simul ex hoc fragmento elucet eius auctorem rhetorem fuisse. Id Ritter[1]) iam exprimit dicens »Caput obvolutum« notum declamatorum argumentum significare, quod indicet Hermog. περὶ εὑρέσεως. (5 Spengel Rhet. II 261, 27 ss. Fortunat. ars rhet. p. 85, 24 — 27 Halm.)

In libro VI 23 Lactantius de pudicitia et coniugum mutua fide loquitur et dicit uxorem adulteram se excusare, quod maritus idem faciat, se peccando non iniuriam facere, sed referre. Et ad hoc Quintiliani, qui »optime« id expresserit, verba affert sane operis nomen non indicans, sed aperte ex declamationibus: »homo neque alieni matrimonii abstinens neque sui custos.« Hanc sententiam Lactantius accurate interpretatur pergens id, quod Quintilianus dixerit, inter se natura conexum esse, quod maritus (cf. »alieni matrimonii non abstinens«) »circa corrumpendas aliorum coniuges occupatus non domesticae sanctitati vacare« possit, itaque uxor (cf. »non sui matrimonii custos«) »exemplo ipso concitata aut se imitari aut vindicare« putet.

Vocabulum matrimonii Lactantii interpretatione hic pro voce uxoris usurpari videtur, quod nobis in declamationibus maioribus occurrit. (cf. Lehnert, II p. 23;

[1]) l. c. p. 255.

II 7 p. 26; II 14 p. 32)[1]) Quaeritur, num interpretatio verborum excerptorum ex hac declamatione orta sit. Verba »quae inter se natura conexa sunt« iam Obrechtus[2]) in sua editione Quintiliano addixit eumque editores vetustiores sequuntur,[3]) cum in editionibus recentioribus haec Lactantio attribuantur. Non demonstrari potest haec verba pariter atque cetera ex declamationibus orta esse. Itaque optimum erit interpretationem ipsam Lactantio addicere.

Ex quibus autem declamationibus Lactantius haec hausit? Utique mirum est, quod hi tres loci in illis hodie nobis servatis non leguntur. Aerodius[4]) eos declamationibus minoribus addicit eumque sequitur Ritter,[5]) quod initio collectionis nostrae ducentae quadraginta tres declamationes perierint et consentaneum sit primam omnium librorum partem maxime adhiberi. Fieri potest, ut duo primi loci declamationum minorum sint, sed tertius maioribus fortasse addici potest, quod, ut supra dixi, vox matrimonii pro voce uxoris usurpari videtur; id autem in declamationibus maioribus invenitur, non in minoribus, in qua re maxime decl. 337. (p. 367 Ritter)[6]) comparetur. Sed etiam Quintiliani institutio oratoria a Lactantio adhibita est, de qua re iam disputabo.

[1]) cf. Alb. Becker, Pseudo-Quintilianea: Symbolae ad Quint. quae feruntur declamat. XIX maiores. Progr. Gymn. Ludwigshafen 1904. p. 12.

[2]) l. c.

[3]) cf. Brandt. edit. I p. 569. adnot. crit.

[4]) Decl. minor. Quint. Paris 1580. praef.

[5]) cf. l. c. p. 254.

[6]) cf. p. 10, 8; 12, 4; 24, 10; 145, 2; 151, 27; 203, 12; 403, 25 404, 16. (Ritter)

Praecipue in diiudicatione de eis viris, quos saepius in Inst. excerpsit, Lactantius ad Quintilianum se applicasse videtur. Primum igitur de hac re loquar. Ceterum ipsam operis illius rhetorici notissimi inscriptionem »institutio oratoria« de industria mutans suos libros nomine »institutionum divinarum« videtur inscripsisse.

B. De clarorum virorum iudicio.

Ita in Empedocle, Lucretio, Varrone, Seneca, Cypriano, Cicerone iudicandis vel aestimandis Quintiliani vestigia persequi possumus.

Iam Burmannus[1]) vidit verba Inst. II 12, 4 illis Quintiliani inst. orat. I 4, 4 simillima esse, ut pro certo haberi possit Lactantium illius auctoris memorem fuisse.

Inst. II 12, 4: Empedocles, quem nescias utrumne inter poetas an inter philosophos numeres, quia de rerum natura versibus scripsit, ut apud Romanos Lucretius et Varro.	Inst. orat. I 4, 4: nec ignara philosophiae cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima naturalium quaestionum subtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclea in Graecis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui praecepta sapientiae versibus tradiderunt.

Sane hi loci eo modo discrepant, quod Lactantius dicit »de rerum natura«, Quintilianus »praecepta sapientiae«. Sed fieri potest, ut ecclesiae scriptor Lucretii carmine »de rerum natura«, quod saepissime

[1]) Quint. edit. p. 39 adn.

excerpsit, vel Quintiliani verbis praecedentibus »ex intima naturalium quaestionum subtilitate« ad id adductus sit. Ex hoc loco conclusum est Varronem revera poema »de rerum natura« fecisse, praesertim cum etiam Cicero (Acad. post. I 3, 9) et Velleius Paterculus (II 36) quoddam poema ad philosophiam pertinens commemorant. Reifferscheidius[1]) ea de causa tale poema Varroni tribuit, quod a Suetonio sub »de naturis rerum« quidam Varronis versus afferuntur. Riesius[2]) contra Reifferscheidium se vertit itemque Ritschelius,[3]) qui iure dixit ex Lactantio nihil concludi posse, cum Cicero poematis inscriptionem non attulerit.

Inst. V 9 Lactantius nonnulla hominum scelera commemorat et adiungit, ut is, qui omnia scire velit, Senecae libros in manum sumat, »qui morum vitiorumque publicorum et descriptor verissimus et insectator acerrimus fuit.« Simili modo ex parte eisdem verbis etiam Quintilianus de Seneca iudicat, (X 1, 129) qui dicit, illum »egregium vitiorum insectatorem« fuisse, in quo »multa morum gratia legenda« sint. Quod Lactantius pauca adiungit, quae apud Quintilianum non leguntur, nullius momenti est; nam cum ex Lactantio ipso, quem Senecam accurate cognovisse vidimus, tum ex inst. orat. praecedentibus verbis, quae philosophi scribendi rationem valde laudant, natum esse potest. Simul hoc Quintiliani loco Brandtius[4])

---

[1]) Suet. Tranqu. reliquias ed. Aug. Reifferscheid, Lips. 1860 p. 408.

[2]) M. Ter. Varronis Satur. Menipp. rel. Lips. 1865 p.

[3]) Opuscula III. Lips. 1877. p. 432.

[4]) cf. Proleg. in edit. Lact. p. IX.

adductus est, ut pro glossemate »accusator,« quod omnes codices excepto Parisino (R), qui »accusator et insectator« habet, tradunt, vocem »insectator« scripserit.

Sed haec comparemus:

Inst. div. I 15, 16: M. Tullius, qui non tantum perfectus orator, sed etiam philosophus fuit, siquidem solus extitit Platonis imitator. III 14, 13: imitatorem Platonis te ostenderis. III 25, 1: summus ille noster Platonis imitator. I 5, 24: quem (i. e. Platonem) Cicero secutus atque imitatus.	Inst. orat. XII 1, 19: perfectum oratorem esse Ciceronem. X 1, 108: M. Tullius, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse [videtur] copiam Platonis. X 1, 123: Supersunt, qui de philosophia scripserunt . . . idem M. Tullius, qui ubique, etiam in hoc opere (i. e. Bruto) Platonis aemulus extitit.

Non negari potest verisimillimum esse Lactantium etiam hoc loco ex Quintiliano pendere.

Dignus qui observetur est Inst. locus V 1, 25, ubi Cypriani scribendi vel dicendi ratio celebratur.

Inst. div. V 1, 25: (Cyprianus) erat ingenio facili copioso suavi et quae sermonis maxima est virtus, aperto e. q. s.	Inst. orat. X 1, 128: cuius (Senecae) et multae alioqui et magnae virtutes fuerunt, ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multa rerum cognitio e. q. s.

In hac igitur re Lactantius colorem quendam duxisse videtur ex Quintiliani de Seneca iudicio.[1]) Et voces »suavis et apertus,« quae de Cypriani ingenio dicuntur, ex Lactantio ipso ortas esse non mirum est, quod de ecclesiae scriptore ei notissimo agitur.

Non mirum est, quod Lactantius in hac re nullo loco Quintiliani nomen attulit. Nam doctissimus vir ostendere vult etiam ex se ipso scribendi illorum auctorum vel dicendi rationem et genus eorumque ingenium bene diligenterque se intellexisse.

Sed habemus etiam alios locos, qui sensu vel verbis ad Quintilianum se applicare videntur.

C. De aliis quibusdam locis, ubi Lactantius ex Quintiliano pendere videatur.

Haec componere liceat:

Op. dei VI 11: quid enim si dicas aves non ad volandum esse natas neque feras ad saeviendum neque pisces ad natandum neque homines ad sapiendum . . .	Inst. orat. I 1,1: quippe id est homini naturale, ac sicut aves ad volatum, . . ad saevitiam ferae gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio atque sollertia, unde origo animi caelestis creditur.

Loci ita inter se discrepant, quod Lactantius piscium officia addit et illa hominum contrahit. Sed planum est Lactantium huius loci memorem fuisse.

Ad caput 8, 7 libri de opif. dei, ubi de auribus disputatur, Ianus Gulielmius[2]) locum inst. orat. I 2, 28

[1]) cf. Brandt, Proleg. p. C XV.

[2]) Lampas, sive Fax artium liberalium tom. III. a Iano Grutero. Frankofurti 1604. p. 406 s.

contulit, ut ostendat recte »vascula oris angusti« legi necesse esse. Ceterum hi loci ita non consentiunt, ut contendere possimus Lactantium revera illum locum inspexisse.

Inst. III 17,32 trimeter iambicus: »mors misera non est, aditus ad mortem est miser«,[1]) eisdem verbis in inst. orat. VIII 5, 5 invenitur. Quamquam autem confirmari non potest ea verba inde sumpta esse, verisimile tamen est.

Sed videamus, quid Lactantius Gellio debeat.

IV. De Gellio.

In omnibus Lactantii operibus Gellii nomen unico Inst. epit. (24, 5—10) loco commemoratur.

Hic enim quaedam Chrysippei libelli de providentia[2]) verba affert indicans Gellium ea in libris Noctium Atticarum[3]) interpretatum esse. Agitur de quaestione »bonum sine malo« non esse posse. Et ad hoc confirmandum Chrysippum Stoicum philosophum commemorat, qui homines putantes nulla mala esse, si providentia sit, stultitiae redarguerit. Haec autem sunt verba: »quibus non videtur mundus dei et hominum causa institutus neque res humanae providentia gubernari, gravi se argumento uti putant, cum ita di-

[1]) cf. Brandt, Proleg. p. CXIV; Ribbeck, Tragic. Rom. frgm. Lips. 1897. p. 307. 203.

[2]) Chrysippea scripsit A. Gercke in annal. philol. Suppl. vol. XIV, 2. (1885) frgm. 26. p. 712.

[3]) N A VII 1 (Hosius.) Exprimo nonnulla ab Gellio discrepare (post Hosium.)

cunt: si esset providentia, nulla essent mala; nihil enim minus aiunt providentiae congruere quam in eo mundo quem propter homines fecisse dicatur, tantam vim esse aerumnarum et malorum; ad ea Chrysippus cum in libro περὶ προνοίας quarto dissereret, ‚nihil prorsus' inquit ‚istis insulsius qui opinantur bona esse potuisse, si non essent itidem mala'; nam cum bona malis contraria sint, utraque necesse est opposita esse inter se et quasi mutuo adversoque fulta nisu consistere: nullum adeo contrarium est sine contrario altero; quo enim pacto iustitiae sensus esse posset, nisi essent iniuriae, aut quid aliud iustitia est quam iniustitiae privatio? quid item fortitudo intellegi potest nisi ex ignaviae adpositione, quid continentia nisi ex intemperantia? quo item modo prudentia esset, nisi foret contraria imprudentia? ‚proinde' inquit ‚homines stulti cur non hoc etiam desiderant, ut veritas sit et non sit mendacium?' namque itidem sunt bona et mala, felicitas et importunitas, voluptas et dolor; alterum enim ex altero, sicut Plato ait, verticibus inter se contrariis deligatum: si tuleris unum, abstuleris utrumque.«

Prima Lactantii verba ex Gellio sumpta usque ad »homines fecisse« in Noctibus Atticis perierunt, itaque ibi ex Lactantio supplentur. Cetera quae apud duos scriptores servantur, satis accurate congruunt. Hic locus ea de causa gratissimus est, quod ob nimiam longitudinem in Institutiones receptus non est. Itaque interpolator adductus est, ut huius loci interpretationem Inst. II 8 adderet.[1]) Simul haec ea de causa observanda sunt, quod Lactantius praeter Graecum

[1]) cf. edit. Brandtii, I p. 130, adnot. crit.

auctorem eius interpretem latinum commemorat. Nam id aliis locis, ubi eodem modo auctores latini adhibentur, raro facere solet.[1])

His Chrysippi verbis Lactantius etiam in libro de ira dei usus est, quamquam ibi fontem suum non indicat. Scriptor enim declarare vult sapientiae omnem rationem sitam esse »in discernendis bonis ac malis,« et haec inter se conexa esse, ut »sublato alterutro utrumque sit tolli necesse.« (cf. Epit. »si tuleris unum, abstuleris utrumque.«)

Iam de Varrone disserens breviter significavi[2]) libri de op. dei locum 8, 10 Varronianum esse. Perstringamus breviter, utrum Lactantius hoc loco Gellium[3]) adhibuerit necne. Disputat de causis videndi et reicit philosophorum, quos sane non appellat, sententias nos cernere »imaginum incursione« aut »intentione aeris cum acie« aut »effusione radiorum.« Gellius has philosophorum sententias affert, Stoicorum dicentium causas videndi esse »radiorum ex oculis ... emissionem aerisque simul intentionem« (cf. »intentione aeris cum acie aut effusione radiorum«), Epicuri, qui arbitratus sit ex omnibus corporibus; »simulacra quaedam corporum ipsorum semper affluere« (cf. »imaginum incursione.«) Hos Lactantii Gelliique locos cohaerere omnes concedent. Attamen ita discrepant, ut non putare possimus Lactantium Gellio usum

[1]) Auctorem latinum non memorat: Inst. I 8, 1; II 10, 4; 10, 17; III 19, 17; 20, 15; 21, 2; 21, 4; IV 4, 6; 9, 2; VI 25, 1; VII 1, 6; 7; 8, 4; 8, 5; 22, 19. Commemorat eum: II 28, 20; VI 5, 4; VI 12, 5; VII 2, 10; 8, 7.

[2]) cf. diss. p. 34 s.

[3]) N A V 16. (Hosius.)

esse. Potius uterque unum atque eundem fontem (i. e. Varronis Tuberonem) secutus est.

Item locus Inst. VII 14, 8, qui agit de numero septenario, ex Gellio, ut supra dixi,[1]) non sumptus esse potest itemque ille Inst. III 25, ubi de philosophis servis agitur.[2]) Videmus igitur Gellium Lactantio in Institutionibus componendis nullius, in epitoma et in libro de ira dei exigui momenti fuisse[3]).

[1]) cf. diss. p. 44 s.

[2]) cf. diss. p. 79.

[3]) Ad ultimum exprimo me W. Harloffii dissertationem ipsam Untersuchungen zu Lactantius (Rost. 1911), ubi praecipue Inst. liber III. observatur, nondum inspicere potuisse.

Vita.

Natus sum Hubertus Jagielski a. d. III. Non. April. MDCCCLXXXVIII in vico Borussiae orientalis, cui nomen est Layss, patre Huberto, matre Ottilia e gente Gedig, quibus viventibus gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum primordiis in schola Layssensi imbutus a vere anni MDCCCIC per novem annos gymnasium regium in urbe, cui nomen est Braunsberg, frequentavi. Vere anni MCMVIII maturitatis testimonium adeptus numero civium universitatis Vratislaviae adscriptus per sex menses studiis philologicis me dedi. Docuerunt me viri doctissimi: Baumgartner, Ebbers, Skutsch, Stern, Wobbermin. Inde postquam per sex menses in Lyceo Hosiano Braunsbergensi, quod hodie academia regia appellatur, in philosopha studia incubui, Regimontum migravi, ubi per sex semestria philologicis, archaeologicis, historicis studiis operam navavi. Scholas frequentavi virorum doctissimorum: Ach, Baumgart, Bezzenberger, Deubner, Goedeckemeyer, Haendcke, Jeep †, Krauske, Ludwich, Rossbach, Rühl, Spangenberg, Tolkiehn, Werminghoff, Wuensch. Proseminario philologico, quod Deubner, Jeep †, Ludwich, Rossbach, Wuensch regebant, per tria semestria interfui, seminarii, cui moderabantur Rossbach, Wuensch, per duo semestria, seminarii historicorum, quod Rühl regebat, per sex menses sodalis fui. Praeterea ad exercitationes archaeologicas benigne me admisit O. Rossbach.

Quibus viris doctissimis gratias ago praecipueque Ottoni Rossbach, qui huius dissertationis conscribendae auctor, perficiendae dux semper opera et consilio me benevolentissime adiuvit.